



universität
wien

DIPLOMARBEIT

Titel der Diplomarbeit

„De invectivis in medicos“

Verfasser

Mag.iur. Ernst Wiesner

angestrebter akademischer Grad

Magister der Philosophie (Mag.phil.)

Wien, 2011

Studienkennzahl lt. Studienblatt:

A 337

Studienrichtung lt. Studienblatt:

Diplomstudium Klassische Philologie - Latein

Betreuer:

O. Univ.-Prof. Dr. Franz Römer

DE INVECTIVIS IN MEDICOS

opus ad diploma adipiscendum

a

Mag. Ernst Wiesner

compositum

tutore

Univ. Prof. Dr. Franz Römer

patri meo
(MCMXL - MMI)

INDEX

Praefatio	p. III
Disputatio de inuectiuis earumque causis	p. V
De notione inuectiuae eiusque genere	p. V
De cura male adhibita (I)	p. VIII
Excursus: qualis medicina Romae temporibus antiquis fuerit	p. X
De cura male adhibita (II)	p. XIX
Medicos saepe statu et ordine humiliore fuisse	p. XXX
De medicis auri cupidis	p. XXXIV
De medicis, qui non medicamenta sed uenena praebent	p. XL
De inuectiuis Petrarcae in medicum	p. XLVII
Epilogus	p. XLVIII
Index librorum adhibitorum	p. LI
Appendix A - Argumentum	p. LIII
Appendix B - Curriculum uitae	p. LIV

PRAEFATIO

(1) Suntne homines, qui multis aliis aut sint odio aut amentur eodem modo, quo medici? Arte et scientia medicinae, qua usi hominibus mederi solent, iam multos nostrum - quis negat - curauerunt et a doloribus uel morbis liberauerunt. Quare non est mirum, quod multi eos iam temporibus antiquis gratia laude honore efferebant. Sunt contra multi, qui, quamquam medicos de morbis uel doloribus suis consuluerint, uitam eisdem malis uexati peragant, cum medici morbos curare nequierint, sunt et multi, quibus non solum uita sic onusta sit ferenda, sed etiam arte medicinae male adhibita, nisi uitam amiserint, plus dolorum sit ferendum quam ante. Quare, ut in prouerbii consuetudinem uenit, cum errores iudicum per prouocationes emendentur, errores medicorum non nisi a humo frigida tegi feruntur.

(2) Ergo alii medicos laudant eosque uenerantur ut deorum similes, cum alii eis maledicant eosque oderint. Qua de causa euenit, ut per omnia tempora in operibus auctorum et poetarum fama medicorum tractaretur. Cum benigna et laude referta uerba et dicta imprimis in operibus de medicinae arte scriptis inueniantur - quorum ut exemplum detur, opera Galeni uel Celsi commemoro -, de maligno rumore, qui est odio et inuidia partus, uariis in operibus legere possumus.

(3) Hoc opere imprimis eis de locis litterarum Latinarum referam, ubi inuectiuas uel uerba repudiantium legimus. Quandocumque homines de rebus uariis irascuntur, iram aliquo modo exprimere temptant. Sunt paucissimi, qui nihil agant sed iram deuorent. Plurimi ira commoti eo modo agunt, quo modo agere didicerunt. Si ille ergo, qui irascitur, robore maximo laborare consuevit, eo robore aut securim iactat et trunco infligit aut aliquid ira accensus delet, ut irae non moderetur sed illius habenis laxatis furat. Sin, qui eandem sentit, aut robore caret aut uim uitare uult, uerbis utitur, quibus aduersarium adloquitur illique maledicit. Quodsi, qui sic agit, tam doctus et peritus est litterarum, ut eum poetam uel scriptorem appellari oporteat, id odii et inuidiae nonnumquam inuectiuis aliisque modis demonstrat, siue medicos pro dolore, quem ipse aut familiares acceperunt, ulcisci uult, siue uerba repudiantis edit, quibus homines,

qui eundem acceperunt, consolari cupit. Et sunt raro, qui, quamquam nihil concreti habent, inuectiuam componant, ut litterarum genus edant, quo legendo homines multi delectentur.

(4) Multae et uariae quoque sunt causae huius inuidiae odiique, quas in ordinem redactas demonstrabo, quamquam interdum non erit facile, quae nobis tradita sunt, eo modo distinguere. Initio operis ergo de medicina loquar, qualis fuerit temporibus antiquis, imprimis temporibus ab saeculo tertio ante Christum natum usque ad tempora imperatorum primorum, id est imperatorum primi saeculi post Christum natum. Quod ad perficiendum mihi opus erit primum scriptores commemorare, qui siue Graeci siue Romani de medicina opera scripserunt. Quare opera Catonis, Varronis, Galeni tantum commemorabo, quantum quae in operibus scripta sunt ad rem hic tractatam pertinent. Quibus laudatis demonstrabo tres causas esse graues, quare medici ab hominibus inuectiuis maligne tractentur. Saepe tamen uidebimus causas inter se mixtas esse, ut separari non possint; res multas hic descriptas non solum una ex causa fieri intellegemus, sed pluribus ex causis. Tamen conabor eas quam optime per ordinem referre. Primum igitur de uiis et modis medendi erit loquendum. Quamquam multi se medicos appellant et superbe se gerunt, quod de scientia medicinae loqui possunt ea ratione, quam reliqui, qui ipsi non studuerunt illi arti, comprehendere non possunt, aegri tamen saepe ab iis non curantur, sed dolere pergunt. Apparet enim eos medicos praeter scientiam uerborum medicinalium nihil de re ipsa scire. Ergo homines multum de medicina queruntur, qua medici - si quidem licet eos hoc nomine appellari - in curando utuntur. Erroribus tractatis, quos ex imperitia committunt medici, exempla medicorum conferam, quos ob rationes medendi non decet appellare medicos, quorum artem non decet curas, quorum herbas uel res alias hominibus aegris oblatas non decet medicamenta. Quod ad demonstrandum Tacitum laudabo, qui nobis tradit medicos, quos Nero in aula secum habuit, iussu imperatoris hominibus, qui principi in odium uenissent, uenena uaria praeuisse. Quoties homines scelera maxima celauerunt simulantes se toto animo saluti aliorum studere? Et cui prima facie libentius confidere uolumus quam medicis? Eo modo illis semper facillime erat eos fallere, qui se sine

suspicione ulla manibus uel curae illorum dedidissent. Inter causas inuectiuarum maxima et qua non audiat saepius ulla alia, est res illa, qua mundus totus regi dicitur: Medici multi sua pro arte auri cupidine agitati tantum pecuniae poscunt, siue contigit, ut cura aere soluta aegri reualescant, siue aere frustra dedito miseri moriuntur. Propter tales sumptus cum inualidi illorumue propinqui nonnumquam multum dolent et ingemiscunt, quod pecuniam ad colligendam maxima parcitate ciborum uel aliorum rerum cotidianarum uitam diu degere debent, tum multo magis gemunt et ira commouentur, si pecunia data spem curae a se demptam intellegunt. Quo facile fit, ut iram et dolorem in inuidiam mutant decepti. Valetudinem nobis inter maxima bona esse scimus, quam ad conseruandam aut recipiendam saepe non dubitemus res alias dedere. Sin uidemus ualetudine amissa rem, qua nihil pluris aestimamus nisi fortasse ualetudinem ipsam, medicis a nobis frustra praebitam, quis miratur nos illis eo magis irasci? Medici igitur, qui cum artem suam male perfecerunt uel mala medicamenta et uenena aegris dederunt, tum artem nonnumquam dubiam plurimo uendiderunt, ab initio usque ad tempus nostrum inuectiuis sunt tractati. Quod huius operis est argumentum. Et tu, pater, corde tuo sentire debuisti, quid erroribus medicorum fieri posset: adhuc fortasse inter uiuos esses morbumque insufficientiae cordis infarcti superasses, si medici intellexissent maturius, quo morbo affectus doleres, et curam aptam tibi praebuissent!

DISPVATIO DE INVECTIVIS EARVMQVE CAVSIS

DE NOTIONE INVECTIVAE EIVSQVE GENERE

(5) Cato Censorius, ut Plinius (nat. 29,14) nobis refert, cum filium libris suis instruere uellet, illum et monuit, ne medicis Graecis confideret. Nam quandoque ista gens litteras suas daret, eam omnia conrupturam esse, tum etiam magis, si medicos suos Romam mitteret. Non solum eos iurasse inter se barbaros necare omnes medicina, sed etiam id ipsum mercede facere, ut fides iis esset et facile disperderent. Eam Romanos quoque dictitasse barbaros, quos spurcius quam alios opicorum appellatione foedarent. Quare Cato interdixit filio de medicis.

(6) Genus scribendi, quo Cato contra medicos usus est, cum filium instrueret, inuectiuam appellamus hodie. Severin Koster philologus, qui multa de inuectiuis

Graecorum et Romanorum collegit et scripsit, nomen inuectivae non reperiri in litteris, quae ante saeculum quartum post Christum natum compositae sunt, ostendit.¹ Graeci et Romani, qui eo genere litterarum libenter utebantur, ut alios, quos reprehenderent, risui atque contemtionem exponerent, orationes et scripta eius modi aut uituperationes aut ψόγους appellabant. Nomen inuectivae uerbo inuehendi est deriuatum, quod idem fere significat ac uerba incusandi, increpandi, lacessendi, maledicendi, reprehendendi, improbandi - ut pauca tantum referam.² Aequalibus ergo orationes quattuor, quas Cicero in Catilinam habuerat, uel carmen Ouidii de ibide uituperationes erant. Semper illi, qui orationes eius modi in alios habebant aut scripta edebant, eos turpitudinem subire uolebant, quo deficerentur fama. Vt Severin Koster philologus indicat, Cicero (orat. 1,141), qui uituperationes et laudationes tractabat, laudationes esse affirmavit orationes, in quibus ad personarum dignitatem omnia referrentur. E contrario ergo concludere licet uituperationes et inuectivas eas esse orationes, in quibus omnia referantur personarum ad contumeliam. Simili modo Quintilianus (inst. 2, 4, 20) animos laudando et uituperando formari scripsit, quo intellegere disceremus, quid esset rectum aut prauum.³

(7) Quare Severin Koster philologus inuectiuam sic definit: eam esse genus litterarum, quo quis alium hominem, quem saepissime et nomine dicat, coram publico reprehendat et grauiter incuset rerum improbarum, ut famam in peius commutet, quae moribus priscis et laudabilibus opponatur.⁴ Per inuectiuam enim orator aut ille, qui opus scribit, uerbis conatur inimicos apud populum criminari et fama bona priuare.⁵

(8) Quamquam nomine inuectivae plerumque orationes aut opera longa nominantur (ut exempla referam, orationes Ciceronis nonnullas memorabiles duco, inter quas imprimis illa in Pisonem, quam infra breui reuocabo, aut illae quattuor in Catilinam, quas supra iam memoraui, maxime sunt clarae), hoc opere tamen non de inuectiuis, quas operibus totis et magnis auctores Romani

¹ Koster, Severin, Die Invektive in der griechischen und römischen Literatur, BKP 99 (1980), 1f.

² ThIL VII 2, 126, 32ff (de notione).

³ Koster, Severin, Die Invektive in der griechischen und römischen Literatur, BKP 99 (1980), 18f.

⁴ Koster, Severin, Die Invektive in der griechischen und römischen Literatur, BKP 99 (1980), 39.

⁵ Liebermann, Wolf-Lüder, Invektive, DNP, 5 (1998), 1049.

ediderunt, sed de locis singulis et breuibus referam, quos ex operibus, quibus de rebus aliis imprimis agitur, elegerim. Catullus quoque poeta ille, quem nonnumquam lascium fuisse nouimus, carmina nonnulla operi suo adiunxit, quibus aut homines quosdam aut mores Romanos reprehenderet. Inter homines, quibus nimis maledixit, Mamurram fuisse constat, quem compluribus carminibus criminatus est. Hic igitur breuiter tantum carmina Catulli, inter quae carmina XXIX et LVII obscenissimis uerbis eminent, sunt commemoranda. Quae tamen sunt indicia, quibus intellegimus temporibus antiquis locis singulis inuectiuas breuibus uerbis insertas esse, siue erant uituperationes siue contumeliae siue iniuriae. Vt iam praefatione indicaui, hoc opere de inuectiuis in medicos est scribendum. Inter codices et fragmenta, quae nobis sunt tradita, inuectiuam nullam in medicos repperi aptam, quae longitudine orationibus Ciceronis comparetur. Locos igitur complures hic referre mihi in animo est, quibus auctores in medicos inuehuntur et quos uariis ex operibus antiquis elegi, quidquid ab illis in medicos scriptum est. A Cicerone, qui multos in homines uariis ex causis res egerat aut pro eis orationes habuerat et cuius e multis orationibus nobis plus quinquaginta sunt traditae, nullam in medicum aut pro medico habitam reperimus. Cum non putem illius orationem ullam, quae ad medicos pertinet, multa ob saecula praeterita amissam esse nec apud auctores alios indicia inueniamus, quibus commemorent orationem eius modi a Cicerone aut aliis oratoribus habitam esse, uerisimile est orationem fuisse nullam. Quemcumque orator ille praeclarissimus defendit aut accusauit orationibus, semper erat aut nobili genere natus aut homo tanti momenti, quo accusato aut defenso Cicero se speraret apud Romanos bonos praeclarissimum factum iri uel aliquid commodum et utile accipere. (Vt carmen de consulatu suo componeret, pro Archia poeta orationem habuit, quae spes et qui labor eum frustrati sunt.) Quod fortasse est argumentum, quare nulla oratio in medicos aut pro medicis antiquis temporibus habita sit: Medici enim, ut infra ostendam, eo tempore non erant ordine nobili, sed plerumque serui aut liberti. Quid ergo Ciceroni aliisue oratoribus profuit medicos defendere aut accusare? Nec est mirum, quod ante quam imperatores medicos suas in aulas aduocauerunt eosque aduocatos clarissimos et multa pecunia pro curis data diuites

reddiderunt, medici non erant tractati in orationibus. Vbi clarissimi fuerunt, inuectivae quoque in eos editae sunt. Quare apud Martialem, qui saeculo primo post Christum natum exeunte praeualebat medicis in aulis principum iam florentibus, legimus carmina quaedam, quibus medicos illudit, cum Plautus nonnullis saeculis ante medicos non aliter ludibrio habuisset atque lenones aliosque homines humili ordine. De his poetis infra plus referam. Sed multum temporis praeteriit, dum inuectivas in medicos poetae et scriptores saeculi XIV ediderunt. Inter quos imprimis Franciscus Petrarca est commemorandus, qui libros quattuor in medicum quendam composuit. Cuius de libris hoc opere exeunte paulum dicam.

DE CVRA MALE ADHIBITA (I)

(9) Nunc autem ad Catonis uerba, quibus filium instruere uoluit, reuertar. Quem prima facie putares filio de omni medicina interdicare uoluisse, secunda tamen clare apparet id ad Graecos tantum medicos pertinere. Cum homines medicos adirent abque iis curam peterent necessariam, Cato eos uerbis grauissimis et acerrimis repudiavit. At cur illi tanta inuidia erat in eos? Quid erat, quod illis non confideret?

(10) Ἱητρὸς γὰρ ἀνὴρ πολλῶν ἀντάξιός ἄλλων. Quibus uerbis iam Homerus (Il. XI,514) medicos supra homines alios extulit, namque erant medici, qui didicerant morbos et dolores leuare uel tollere, ut hominibus uitam tolerabilem reficerent, cum aegri auxilium ab eis petuissent. Medicus unus uitas multorum hominum, qui dolentes uel uulnerati negotiis suis erant prohibiti, arte sua restituere et efficere solebat, ut illi sanati et curati officia sua perficere pergerent. Quidquid uulnerati uel aegri perfecerunt, perficere non potuere, nisi a medico sanati essent. Quidquid sanati perfecerunt, ea de causa quasi a medico perfectum esse dicere licuit: arte unius opera multorum facta esse.

(11) Catonem scimus despexisse omnia, quae non fuerunt Romana, imprimis Carthaginem, quam delendam esse in finiendis orationibus semper censuit, et etiam Graecam philosophiam. Quare anno CLV ante Christum natum Roma celerrime depelli philosophos Graecos uoluit. Sed non erat uir, qui de Graecis nihil nosset. Vt erat doctus, bene philosophiae et scientiarum eorum peritus

erat. Ergo filio Marco suasit, ut litteras Graecorum inspiceret. Eum tamen monuit, ne eas perdisceret. Cum Catonem filio de medicis Graecis interdixisse legimus, ille et medicinae, siue Romana siue Graeca erat, peritus nobis est aestimandus. Non erat uir indoctus, qui quod ignoraret repudiaret, sed uir doctissimus, qui cum nosset repudiaret. Libris eius, qui nobis traditi sunt, et fragmentis nonnullis illi linguam et litteras Graecas familiares fuisse demonstratur.⁶ Medicina quoque instructus erat. In libro de agricultura praeter orationes et preces, quibus di orabantur, ut patribus familias, qui agros colerent, fauerent et adnuerent, rationes et modos et praecepta tradidit, quibus illi pecudes seruos homines sanare possent. Remediis, quae in libro collegit, demonstraui, quomodo homines rusticae ciuitatis uiribus naturae et herbis ad medendum uterentur. Quas ad utendas non erat opus scientia medicorum doctorum propria, sed satis erat, quantum quisque pater familias eis de uiribus nosset. Patres familias enim Romanos medicis Graecis opposuit et comparauit, cum alteros exemplar morum ueterum plurimi aestimauit, alteros contra ut dolosos periculososque descripsit. Catonem ergo intellegendum nobis est non uoluisse prohibere, quin filius medicinae confideret, sed illi suasisse, ut medicos Graecos uitaret. Non habuit, quod filium medicum Romanum adire, si aeger esset, uel ab eo auxilium et consilium petere nollet. Cum primus Romanorum contra medicos Graecos dixit, opinionem de re publica ostendit suam. Se uirum uere Romanum demonstrans Romana tantum laudauit, externa omnia repudiavit. Tamen non est obliuiscendum Aristophanem de medicis libidinosi et, qui artis medicinae imperiti essent, iam scripsisse, ut Catonem auctorem eius generis maledicendi fuisse negare liceat.⁷

(12) Inuectiuarum genus imprimis apud Romanos primi saeculi ante Christum natum multum diligebatur. Quibus in foro et apud iudices non minus quam ante senatores inimicis suis quisque orator maledicere et illorum famae nocere temptabat. In societate enim, quae auctoritatem honorem famam bonam uirorum, qui sibi officia maxima peterent, magni aestimabat, illud genus orationis modum probatissimum et aptissimum ducebat, quo uir facundus

⁶ Wöhrle, Georg, Cato und die griechischen Ärzte, *Eranos* 90 (1992), 112.

⁷ Nutton, Vivian, *Medizin*, DNP, 7 (1999), 1112.

famam inimicorum atque auctoritatem atque dignitatem diminueret et suam augeret se multo meliorem illis praestans. Sic illos, qui cum eo cursu honorum aemulabantur, superabat uel causas dicebat in eos. Qui clientem defendebat, eius famam defendebat, qui quem reum esse demonstrare uolebat, famae eius sordes demonstrabat et affirmabat mores rei illius, quibus demonstratis iudici persuadere temptabat reum culpa probata damnandum esse. Qua infamia ille, qui erat subiectus inuectivae, oneratus sit, intellegimus, si legimus orationem Ciceronis in Pisonem habitam aut alias, quibus oratores fines appetebant similes. Quo facundior orator fuit, quo facilius inimicis maledixit, quo plus salis et leporis in dicendo demonstravit, eo aptior fuit oratio, qua homo ut inuectiva tractatus ab illis, qui audiebant aut legebant uerba, uitaretur et repudiaretur. Magni quoque erat oratoribus, ut audientes delectarentur.⁸

(13) Plinium, quem in hoc opere saepius commemorabo, aliter atque alios auctores, qui opera de medicina composuerunt, ut puta Celsum uel Scribonium Largum, scripsisse scimus. Nam encyclopaediam, quae naturalis historia appellatur, edidit, cuius in libro VII, qui ad naturam hominum pertinet, quaedam capita sunt, quibus de medicina disputavit. Libris ab XX usque ad XXVII de remediis uegetabili natura, ab XXVIII usque ad XXXII de illis, quae ab animalibus sunt producta, ab XXXIII usque ad XXXVII de lapidibus et metallis materiam memorabilem contulit et collegit. Quaequae de medicina rettulit, auctori non plurimi fuisse uidentur, sed eius magis interfuisse scientiam et experientiam referre, cui medicina non nisi pars aut appendix esset.⁹

EXCVRSVS: QVALIS MEDICINA ROMAE TEMPORIBVS ANTIQVIS FVERIT

(14) Hic est locus explicandi, qualis medicina fuerit Romae re publica exeunte principatuque oriente. Nam diligentius de inuectiuis in medicos earumque causis dicere non ante oportebit, quam paulum explicauero, quali natura fuerint, quae eis inuectiuis scriptores et auctores gloria enudare et ludibrio dedere uellent. Antea nobis erunt disputandae ars medicinae et rationes medicorum, ut

⁸ Enenkel, Karl, Ein erster Ansatz zur Konstituierung einer humanistischen Streitkultur: Petrarca's Invektive contra medicum, in Die Kunst des Streitens (Hg. Laureys, Marc, und Simons, Roswitha), Göttingen 2010, 112.

⁹ Önnersfors, Alf, Das medizinische Latein bis Cassius Felix, ANRW II,37,1 (1993),259.

illis disputatis eo facilius inuectiuas comprehendamus. Artis medicinae erant tres rationes, quibus aegris mederentur medici: ut prouerbum erat, cuius auctorem populus Hippocratem habebat, putabant homines, quae medicamenta non sanarent, sanare ferrum, quae ferrum non sanaret, sanare ignem, quae ignis non sanaret, sanare mortem. Quam semper in curando impendere sciebat populus. Quare medici morbos et uulnera primum medicamentis ex herbis aliisque materiis praeparatis, deinde secando, tum urendo sanare conabantur. Cum medici nostrorum temporum semper et conitarentur, ut doloribus aegros priuarent (quod conari eos certe putemus, etiamsi multis hac de re dubitandum est, praesertim qui iam curati sunt doloribus non mitigatis), illos temporis antiqui nihil curauisse constat nisi ut uulnera aut morbos aut tumores sanarent. Hominibus multi dolores ferendi erant, dum ferro aut igne medici artem suam perficiunt.

(15) Primo erat pater familias, qui omnibus familiaribus ipse medebatur. Patre a suo quisque iam adulescens didicit, quibus herbis et orationibus in morbos aut uulnera uti praestaret. Quam experientiam, simulac pater familias ipse factus est, filio tradebat, quem educabat aut artem diem ex die demonstrans aut, ut Cato fecit, librum scribens. Catonem Censorium scimus medicis Graecis non confisum medicamenta omnia, quibus sibi uel familiaribus usus esset, manu sua produxisse et miscuisse, ut Plinius (nat. 29,15) tradidit, seque iactasse, quod illorum medicamentorum gratia se et coniugem usque ad longam senectam perduxisset, quod sibi contacturum non fuisse putaret, si medicis Graecis eorumque medicinae confisus esset. Multi Romani erant, qui nossent, quomodo ex herbis uel radicibus fabricarent unguenta uel medicamenta alia. Quam scientiam bene conseruabant et liberos docebant. Medicum non acciebant nisi morbo grauissimo affecti timebant, ne sibi damnum uitae esset, si ipsi se medicamentis curarent aut ignorarent, qua cura esset utendum ad medendum.

(16) Praeter haec praescripta, quae Cato in libro de agricultura collegit, apud Romanos non aliter atque apud alios populos illorum temporum ueterum magica carmina, quibus uolgens se propinquosque a morbis uel uulneribus liberare et seruare posse putabat, semper magni erant. Cum morbos saepe

exsecratione ortos aestimarent - multa sunt exempla carminum eius modi, quibus quis deuotione in uirgis aut tabellis scripta petebat, ut homo sibi inuisus uulnus aut morbum grauem acciperet -, curam illorum malorum eodem modo carminibus appeti posse uolgo persuasum erat. Plinius (nat. 28,10) de remediis, quae ex homine essent, semper incertum esse scripsit, num quid pollerent uerba et incantamenta carminum. Quibus tamen non putauit ualetudinem aut curam effici, cum sapientissimus quisque id negauisset. Magnae partes uolgi tamen sibi persuasum habebant uirtutem et uim illis remediis inesse nec utile esse uictimas sine precatione caedi aut deos rite consuli. Deos et numina uerbis et precibus moueri, quod ex historia Romana ab urbe condita usque ad tempora sua clare probatum esset. Nisi populus id uerum esse aestimasset, ueteres legibus duodecim tabellarum uetituos non fuisse mala carmina edi, quibus in res aut famam aliorum nefarii homines crimina committerent.¹⁰

(17) Plauti in Curculione legimus Cappadocem lenonem Aesculapii in fano cubare, quo se rursum ualidum factum iri speraret. Quamquam, ut scimus, Cappadox in fano non reualuit, multi Romani eo modo sibi curam a dis uel sacerdotibus petebant. Aesculapii templum Epidaurium miraculis et curis praeclarum erat. Circum templum multa aedificia erant, quae partim ad commodum oblectamentumque aegris praebendum constructa erant. Qui nonnumquam nonnullos menses illic manserunt. Praeter porticus et balineas cubicula templo adstructa erant, ubi incubatores, qui ualetudinem somnis appetebant, dormire solebant. In somniis deum uidebant quaerentem, quae signa morborum iis essent, et uiam curandi indicantem. Mane e somnis exciti, quae uiderant, sacerdotibus et medicis narrabant, qui se sanarent.¹¹

(18) Galenus ipse somnia magni esse putauit. Asclepii doctrinam sequens sibi persuasum habuit aegros multos somniis ab eodem deo receptis sanatos esse.¹² Cicero contra in libro secundo de diuinatione nos monuit, ne somniis libentius confideremus, quibus ficta potius quam uera nobis traderentur. Totas noctes nos somniare scripsit (diu. 2,121) neque ullam esse fere, qua non

¹⁰ Kippenberg, Hans G., und Kocku von Stuckrad, Einführung in die Religionswissenschaft, München 2003, 157ff.

¹¹ Luck, Georg, Magie und andere Geheimlehren in der Antike, Stuttgart 1990, 180f.

¹² Oberhelman, Steven M., Dreams in Graeco-Roman Medicine, ANRW II,37,1 (1993), 139.

dormiremus. Quare non esse mirandum, si quando id, quod somniassemus, reapse euaderet. Somnia tam incerta quam talorum iactus esse. E multitudine somniantium factum est, ut quidam ualidi fierent, nec dependebat ab eis, quae somniant. Romae tamen templa erant, ubi ciues incubantes curam sibi petiuerunt, sicut mos erat Epidaurio in templo, quod supra commemorauimus. Lucretius (5,62)

sed simulacra solere in somnis fallere mentem

iam cecinit. Alio loco (5,1158ss.) idem auctor de somniis rettulit

*quippe ubi se multi per somnia saepe loquentes
aut morbo delirantes protraxe ferantur
et celata mala in medium et peccata dedisse.*

Ciceroni ergo eiusque amico Lucretio somnia non uidebantur fidelia, quibus uerum cerneretur. Nam quidquid somniarent homines, nil nisi fortuito illis in mentem uenisse docuere. Siue uoletudine siue rebus, quas uigilantes uidissent, producta esset, numquam certa esse, quae in somniis uidissent. Quare somnia numquam causam ratione agendi esse docuerunt. Qui sibi confideret somnia uera esse, eum non melius agitare quam illum, qui, cum res in discrimen uenisset, e fortuna mobili et inconstanti temere inquireret, quid melius esset factu.

(19) Quam tamen sententiam non fuisse magna auctoritate apud aequales intellegimus. Vergilius Aeneidos in libris aut numina aut mortuos multa somnia remittentes fecit non aliter atque Ouidius, Propertius, Tibullus, Seneca (in tragoediis tantum), Silius Italicus. Inter rerum scriptores imprimis Suetonius somniis usus est, quibus fatum ineuitabile Caesarum atque successus casusque demonstrauit. Item tradidit (Iul. 7,2) Caesarem uiros doctos consuluisse, qui sibi in somniis accepta portenta interpretarentur, et (Aug. 91,1) Augustum somnia neque sua neque aliena de se neglexisse.¹³

(20) Nos, qui medicinam Romanam cum nostra scientia conferre possumus, eam artem fuisse intellegimus maxime religione et carminibus magicis et

¹³ Oberhelman, Steven M., Dreams in Graeco-Roman Medicine, ANRW II,37,1 (1993), 147f.

moribus popularibus et philosophia Graeca multisque disciplinis aliis contextam¹⁴. Nec miramur, quare totiens aegri mortui sint, quamquam facile fieri potuit, ut sanarentur. Illi autem has res firme coniunctas putauerunt, quas separari non oporteret. Cum medicina antiqua non solum a scientia ipsa morborumque cognitione, sed, ut modo indicaui, multis a rebus, quae non ad morbum pertinebant, dependeret, medici saepe in falsum et errorem detrahebantur. Saepius igitur fiebat, ut medici causas morborum falso interpretarentur nec - quod non erat melius - causas ab effectibus discernere solerent. Eo modo morbos non sanabant, immo uero nonnumquam dolores aegrorum augebant ultra.

(21) Hodie bene comprehendimus, quare tunc a medicis, qui somnia interpretantes curam propriam deligere posse se iudicabant - licet temporibus, quae hic aspicimus, bona et credita fuerit haec ratio medendi - plurimi morbi et uulnera non sint curati. Nos quoque, quibus est progressus tantus scientiae et artis, saepe dolemus, quod propinqui aut nos ipsi, quantumcumque curae et remediorum a medicis recipimus, non reualescimus. Quo fit, ut medicis maledicere cupiamus. Eo facilius comprehendendi potest, quare Romani, qui de cura et medicis desperauerant, quod medicis aditis ualetudinem bonam non receperant, irati sint illis, a quibus se desertos aut deceptos sentirent. Quae ira, quae mala cura et medicina est orta, prima fuit causa medicis maledicendi et inuectiuarum.

(22) Medicus, qui, cum aegros se sanaturum promississet, tamen non sanauit, ab illis tam prauo animo esse quam mendicus iudicabatur. Plautus (Rud. 1305s) Labracem lenonem et Gripum piscatorem hoc dicentes habuit:

(Labr:) *Immo edepol una littera plus sum quam medicus.* (Grip.) *Tum tu mendicus es? [...]*

Hoc loco Plautus agnominationem, quam Graece paronomasiam appellamus, finxisse uidetur, qua medicos irrideret. Qui autem fuisset lepos eius scaenae, nisi qui ludum spectabant intellexissent ludibrium in medicos? Verisimile ergo est Plautum uitam cotidianam eis uerbis simulasse, in qua multi essent, qui

¹⁴ Oberhelman, Steven M., *Dreams in Graeco-Roman Medicine*, ANRW II,37,1 (1993), 152.

medicos mendicos aestimarent. Quisquis quando promisso sanandi dato se a medico deceptum sensit, medicum mentitum esse putauit. Eo libentius id putauit, quo plus ei numerauerat pecuniae. Medicis, qui promissa sua non seruabant, ergo multi maledicere uolebant et inuectiuas rationes habebant proprias, quibus id facerent iramque et inuidiam in illos demonstrarent.

(23) Est genus aliud curae, de quo adhuc non scripsi: Sunt medicamina, quae hodie remedia non esse putamus, quae tamen antiquis temporibus aegris hominibus bono esse iudicabantur. Hoc loco, ut exemplari dato noueris, de quibus rebus loquar, mihi Plinii in mentem uenit. Qui (nat. 28,57) sternumentis pinna grauedinem emendari et, si quis mulae nares osculo attingeret, sternumenta et singultum rettulit. Sic a maioribus esse traditum. Ad illud Varronem suasisse palmam alterna manu scalpere; plerosque anulum e sinistra in longissimum dextrae digitum transferre, in aquam feruentem manus mergere. Quamquam id genus potius ridiculum esse aestimamus quam reapse ad medendum utile, quod apud Plinium legimus, nihil ludibrii erat. Cum curae illius usum noscere non uideamur et dubitemus fortasse, num quid boni in faciendo fuerit, nobis non est neglegendum artem medicinae et aliarum disciplinarum omnium multum mutatam et plerumque auctam esse, quod a tempore Plinii usque ad nostrum milia duo fere annorum peracta sunt. Quare mirari nos non oportet, si rationes et modos item mutatos esse intellegimus. Plinius medicinam, quam opere suo descripsit, artem sciuit miraculorum plenam, siue eorum erat peritus, siue ea ignorabat. Nec obliuiscendum est religionis (quam iam commemorauimus) et superstitionis eius temporis. Quisnam nostrum negare potest aegrum hominem, qui de ualeitudine desperatus erat, omnia temptauisse, de quibus iam audiuisset, omnia fecisse, quamuis nos ea omni ratione priuata dicamus, omnia tetigisse, ut reualesceret aut certe spem retineret reualescendi. Fuerint nares mulae, quas tangere a medico aeger iuberetur, tetigit illas nec rationem tangendi inquisiuit. Nostri temporis est omnia, quae quis facere nos iubet, quaestionibus multis abunde implere et multum dubitare, num rectum sit facere, quae iussa sint. Secundum naturam suam illis temporibus non nisi philosophi interrogabant, qui esset finis et causa agendi, magnam partem uolgi non dubitasse iussa perficere et quaestionibus se abstinere scimus, cum uiris

doctis, imperiti ut ipsi essent, maxime confiderent. Ergo consilio medicorum parebant homines, quacumque natura et ratione id erat.

(24) Quo magis imperiti alicuius rei homines sunt, eo facilius est aliis, qui eiusdem rei periti sunt aut certe se peritos simulant, eos fallere scientia uera aut ficta. Tacitus cum ruinam eloquentiae dialogo quereretur, non solum causas ruinae eius disciplinae sed omnium disciplinarum et educationis demonstrauit et disseruit. Quas causas ut hic explicemus, haud est locus. Tamen sequitur, ut homines, qui in potestate sunt - siue nobiles, siue duces, siue principes appellantur -, semper illos, qui minore sunt ordine, facilius regere et ducere possint, dummodo illi sint et minore educatione atque scientia. Quamquam regentes saepe profitentur se multum studere, ut populus totus bene erudiatur, num illos id uere studere putamus? Licet ad res conueniat, quae ad artes et negotia cotidiana pertinent, putamusne tamen id quoque ad artem regendi pertinere? Qui imperator milites arte belli gerendi et iubendi doctos esse uult? Qui senator populum arte consulendi et leges inferendi? Qui medicus aegros arte medendi? Milites iussis parere discunt, populus legibus, aegros consiliis medicorum. Dum hominibus opus est scientiae et peritiae aliorum, quas non didicerunt, confidere, doctis contingit, ut imperitos regant moderenturque. Sic sibi pecuniam conferunt et occasionem conferendi in futurum conseruant. Illorum certe non interest alios arte sua erudiri. Quid ergo miramur, si uidemus liberos nostros minus et minus in schola discere? Populus non eruditus (aut male tantum) senatoribus semper magis placuit quam homines ut philosophi et docti, qui rationes regendi in dubium uocare non haesitarent. Dum aliquis artis suae solus est peritus, ab aliis emendari non potest, quidquid facit uel agit uel consulit uel iubet. Qui alios artem docet, eo facilius ab aemulaturis corrigetur, quo melius eos illam docuerit. Scientiis et disciplinis multis ergo ab initio saepe non nisi secretis et obscuris homines sunt usi. Quod eo saepius factum est, quo plus pecuniae eis mereri potuerunt.

(25) Non aliter res ad medicinam conuenit: Dum aegri ipsi non sunt periti medicinae, medici aut simulantes facile illis consulunt, quidquid uolunt aut optimum putant. Plebs, quae est male educata et rerum imperita multarum, igitur partim ob malam educationem est dedita fraudi et dolo. Nonnumquam

ergo sequitur, ut facile fallatur ab illis, qui magis sunt eruditi atque parati, ut plebis imperitia peritiaque sua in usum suum abutantur. Quodsi cogitamus, quot medicamina naturalia et herbas maioribus nostris nota fuerint, nonne uitium nostrum maximum est, quod scientiam illam non seruauimus et perdidimus? Nonne est uitium nostrum, quod illis sumus subiecti et dediti? Scientia maiorum amissa nunc medicis a nobis est confidendum, quos adimus, ut consulant nobis, quod ipsi ignoraturi non fuerimus, si scientiam seruauissemus. Vt id uitaret et filium scientiam suam doceret, Cato librum scripsit. Hominibus autem, qui nec librum Catonis legerunt nec more maiorum tradito scientiam cotidianam didicerunt, opus erat aliis ut medicis confidere, quorum peritia imperitiam suam compensauerunt. Quodsi fide eos abusos putabant, dubium non erat, quin irascerentur aut quin iram inuectiua aliaue maledictione demonstrarent.

(26) Res monet, ut ad id, quod supra commemorauimus, redeamus. Homines, qui ipsi scientia maiorum non sunt docti, consiliis medicorum confidebant, quibus erant dediti. Fingamus ergo aegrum quendam, qui postquam spe omni priuatus medicum adiit et ab illo petiuit, ut sibi mederetur, a medico iussus est nares mulae tangere. Neglegamus ultra, quid ille aeger de consilio medici cogitauerit - siue id quasi bonum accepit, siue amentem medicum iudicauit - sed imaginemur aegrum tam desperauisse de salute, ut consilio commotus nares tangeret mulae. Quid ergo putamus eum de consilio cogitauisse? Verisimile est aegrum, nisi reualuit consilio obsecutus, id nihili aestimauisse, sin reualuit, medicum ob id consilium maxime laudasse. Hoc solum est argumentum, quod nobis hic est disputandum. Fuerit non aptum ad medendum, quod medicus illi suaserat, tamen aeger ille reualuit. Scimus enim nonnumquam aegros ualidos reddi nec causam intellegi posse. Mirae sunt causae quaedam, quibus cura efficitur: Aegri aut forte aut causis naturae et corporis ipsorum ignotis morbos superasse uisi sunt. Quae causae eae fuerint, hic disputare non magni est. Id unum nobis est disputandum, quod nares mulae tetigit ille aeger. Illi ergo eas tactas causam reualescendi fuisse uideri oportebat, quamquam, ut finximus, id non nisi fortuito eo tempore conuenit, quando alia de causa ignota ualidus factus est. - Hodie scimus aegros ui mentis et fidei sanari posse, cum psychologi nos multum de eis docuerint. Quo fit, ut dubitandum non sit, quin

nulla re nisi spe reualescendi aegri morbis liberati sint. - Homines, qui temporibus antiquis erant, uim illam ignorauerunt. Haec fortasse est causa, cur euenerit, ut homines, qui de casu illius simili, quem hic finximus, audiissent, nares tangendas remedium putarent. Maioris momenti autem est, quod nares tangere non est remedium uerum. Quare non miramur aegros alios eadem ratione usos non reualuisse uel illos, qui non ualidi facti sunt, medicis, quos ob eam causam malos duxerunt, maledixisse. Sic consilium, quo aegris suadetur, ut nares mulae tangant, aut alia consilia, quae non minus inutilia ex scientia et peritia nostri temporis aestimamus, non solum remedia non apta, sed etiam causae inuectiuarum erant.

(27) De ui, quam mens in corpus habet, homines nostri temporis saepe non dubitant. Psychologi, imprimis illi, qui inde a saeculo XIX ei disciplinae studebant, multum de ea intellexerunt: multos morbos eo modo sanari posse, etiamsi medicamentis aliis cura non praebeatur apta. Aegri si persuasum sibi habent medicamenta aliqua sibi bono fore, nonnumquam potius reualescunt quam alii, qui iam ob morbum desperati dubitant, num sanari possint. Puto autem sacerdotes Aesculapii de ui mentis multum scisse, satis certe, ut ea scientia usi se simulare possent aegros in templis somniantes sanare. Bene sciebant - quod e multitudine aegrorum a se curatorum per saecula didicerant, cum somniantes aegros illorumque morbos diligenter inspiciebant - uiribus mentium reualescere posse homines. Illis ergo nihil aliud potius faciendum erat, quam ut aegris in templis somniantibus persuaderent eo modo morbos sanari. Quare quod sacerdotes sciebant et quod faciebant, curam appellari potest, attamen nemini dubium est, quin et multi fuerint, qui scientia illa abuterentur. Vbi intellexerunt uires mentis magni momenti ad reualescendum esse et aegros, qui sperarent se sanatum iri, facilius sanari, multi ad imitandum uel fallendum parati aegros allectabant.

(28) Non omnia, quae de antiqua medicina et medicamentis legimus et absurda aestimamus, absurda erant antiquis temporibus, sicut non omnes sententiae, quas hodie fortasse prima facie inuectivae causa scriptas putamus, inuectivae erant. Semper stricte est discernendum, quem ad finem, quae legimus, scripta sint. Vt mores et artes saeculis uiginti fere peractis mutabantur,

et scientia et modus curandi, quibus hodie aegri sanantur, et modus, quo medici Romani utebantur, differunt. Ergo modum curandi, quem apud Plinium reperimus descriptum et, quem cum scientiae nostri temporis comparamus, inutilem aestimandum habemus, ad inuectivam scriptum non esse constat, quantumvis ludibrium ei consilio inesse uideatur. Non est dubium, quin Cato, cum filio de medicis interdiceret, inuectivam ediderit, nec est dubitandum, quin Plinius, cum suaderet, ut nares mulae tangerentur, id remedium proprium et aptum aestimauerit. Quare id nihil est inuectivae.

(29) Quid medicus fortasse egerit aegrum conueniens, quid aeger medico dixerit, ante oculos nobis obuersatur, cum legimus, quomodo Plautus Menaechmorum in actu quinto medicum et senem et Menaechmum loquentes faciat. Nec est obliuiscendum Menaechmos comoediam esse, quare semper nobis in mente est habendum, quidquid Plautus cecinit, non fuisse uerum ultimum. Immo uero Plautum non aliter atque alios comoediographos materiam, quam composuit, plerumque - ut supra iam dixi - e uita cotidiana, quam bene nosset, sumpsisse constat, quam comoediae causa mutatam uel sale et lepore (quin etiam Plautum acriore lepore saepe usum esse scimus) contextam ad illos iuuandos, qui ludum spectabant, referret. Diligenter ergo quaerere debemus, quantum uerborum Plautus ediderit, ut uitam ueram simularet, quantum contra finxerit, ut materiam comoediae modo referret. Plautum enim, qui materias imprimis Graecis e comoediis deduxerat, descriptiones personarum, quas agentes habuit, uerbis in maius extollentem intellegimus. Quidquid medicus et senex et aeger in Menaechmis agunt, tamen uitae cotidianae et uerae, quam Plautus eiusque aequales peragebant, simile fuisse uidetur. Quidnam hac in scaena ab histrionibus acta fuisset salis et leporis, nisi ea certe partim uerum simularetur et demonstraretur?

DE CVRA MALE ADHIBITA (II)

(30) Quid ergo a Plauto de medicis et aegris discimus? Ne uersus illius hic uerbatim laudem (quos quisque facile aliis locis legere potest), non nisi breuiter referam, quod nostra maxime interest ad disputandum de inuectiuis. De argumento Menaechmorum tamen non ante scribam, quam nos ad id

reuocauerimus, quod hac comoedia sortem geminorum poeta narrauit. Multa, quae narrantur, primo alter frater uidet aut facit, dein forte alter factorum gemini sui inscius in res easdem incidit et nescit, cur in se homines alii tam mire, quam miros ipse mores et facta illorum putat, se gerant. Non aliter de scaena hic a nobis tractata agitur: Menaechmus alter se insanum simulauit. Quem ut sanaret, senex medicum aduocauit. Ille primo, cum aegrum conuenisset, e sene patre quaesiuit, quae essent signa morbi, quo doleret aeger. Dein medicus quamquam e uerbis, quae senex ut responderet rettulerat, morbum intellegere non potuit certum, cum sene consensit aegrum amentem esse. Quem morbum ad sanandum poposcit, ut aeger ad uillam suam deportaretur, ubi illi melius multos dies aliqua potione mederetur. Qui spectabant comoediam, intellegebant, quare aeger, quippe qui esset alter geminus, non responderet recte a medico de morbo signisque rogatus, quae alter simulasset. Medicus igitur non potuit facere, quin illum amentem putaret, cum, quidquid respondebat rogatus, medico uerba amentis esse uideri oporteret.

(31) Quantumcumque horum uersuum non nisi comoediae causa agitur, bene tamen uidemus, quomodo medicus eorum temporum in aegros se gesserit. Illum morbo non exacte intellecto de causis deliberasse, quibus nullas alias uerisimiliores iudicabant, et aegro consuluisse. Aegrum contra eiusque propinquum medico maxime confiderere et facere, quidquid medicus consuleret, ut facerent, quamquam non nosset, quod optime factu esset. Quantulum ea scaena ficta et tempus nostrum differunt! Nonne et hodie medici nimis saepe, quotiens ignorant, quo morbo aliquis doleat, temere aegroto medicamina praescribunt et libentius dedunt sperantes id, quod agunt, illi bono aut saltem non malo fore? Medici semper dubitare solent affirmare et confiteri se ignorare, quo morbo aegroti doleant, nec medicum a Plauto descriptum aliis moribus fuisse legimus. Quotiens aegris sunt dolores et signa similia, quorum causae et - quod eo sequitur - rationes sanandi dissimiles sunt!

(32) Hos uersus Plauti (Men. 885ss) tamen dignos uerbatim laudari duco, quibus senem hoc de medico dicentem habuit:

ait se obligasse crus fractum Aesculapio,

*Apollini autem brachium. nunc cogito,
utrum me dicam ducere medicum an fabrum.*

Leporem et salem eorum uersuum comprehendimus, si cogitamus medicos nonnumquam in templa uocatos esse, ut fabris, qui statuas deorum aut hominum praeclarorum fractas reparare iussi essent, suaderent, quid esset faciendum, ne membra statuarum contra naturam ficta uiderentur. Fabri quidem lapides et ligna dolare solebant, quem laborem cum sudore tum robore perfici scimus. Plautus ludibrium ergo in medicos dirigit, quos eis uersibus in curando et medendo tanto robore uti dixit, quantum fabris in materiis dolandis opus esset. Hic igitur inuectivae modo medicorum arti illudit, qui hominibus, quos sanant, dolores inficiunt, quod non aliter atque fabri agunt. Cum materia non doleat, aegri eo magis dolent.

(33) „Falsum est, quod interpretaris“ fortasse aliquis exclamabit. Ante quam id faciat, ego libenter affirmabo eos uersus altero modo comprehendere posse. Habeamus igitur in mente eis uerbis non solum dolores, quos medicus aegris infligit, sed etiam imperitiam medicorum a poeta demonstrari. Qui eum locum Menaechmorum sic interpretatur, fabros meliores medicos uideri intellegit. Quidquid illi reparabant, siue ossa siue manus statuarum, bonum erat. Sin medici crura uel brachia aegrorum sanare temptabant, membra saepe sana non faciebant. Peritia enim fabrorum maior esse uisa est Plauto eiusque aequalibus quam medicorum. Quamquam uarius est modus, quomodo hos uersus interpretari possumus, id unum utroque modo intellegimus: medicos, ut Plautus eos demonstraui, male doctos fuisse uideri. Sic quod apud Plautum est dictum, inuectiua quoque in medicos appellari potest, quamquam eam intellegere non tam facile est quam in uerbis, quae Cato filio praescripsit.

(34) Eo, quod Plauti de Menaechmis disputauimus, medias in res primae causae uenimus, ex qua medici saepe inuectiuis tractantur. Consiliis et curis, quibus aegros sanare temptabant, nonnumquam effectum speratum atque ualeitudinem illorum, qui eis confisi sunt, perdiderunt. Modi et rationes tamen, quibus medici Romani causas morborum intellegere temptauerunt et quos supra commemorauimus, hominibus non erant causae, cur medicos irridere et

ludibrio haberent. Somnia ueritatis nuntios futurae aestimabant homines, imprimis si ab Asclepio missa uidebantur, de cuius potestate nemo dubitabat publice.¹⁵

(35) Quantum pater familias primis saeculis imperii Romani ad suos sanandos scientia sua uteretur, supra descripsi. Apud Romanos, qui saeculis circum Christum natum erant, et rationes et modi medicinae Graecae noti et grati erant. Vnum tamen fere saeculum iam praeteriit, dum Celsus medicinam suam edidit. Apud quem multosque alios auctores descriptum est familiares Graecos medicina peritos saepe fecisse, quod antea pater familias ad familiam curandam fecisset. Sic Graeci saluti populi Romani prouidebant, sed ordine non erant amplo, quippe qui serui aut liberti essent.

(36) Cum numerosa remedia a Catone et Plinio nobis traditi sint, intellegimus diagnosem uel prognosem uel diaetam non fuisse magni arti medicinae. Morem fuisse, ut aegroti carminibus magicis tractarentur, sed raro factum esse, ut curam a sacerdotibus quaererent; qui non medicis sed dis confidere mallet, templum adisse, ubi curatum iri se speraret. Romanos scientiam et notitiam herbarum benignarum et reuerentiam naturae, cui et uirtutes magicorum rituum inesse putarent, satis esse aestimasse, quibus cura efficeretur. A quibus tamen audiuius deos et numina aduocatos et imploratos, qui a morbis et pestibus aegros liberarent. Quod factum esse, quia multi sperarent numen quoddam, quod aliqua e causa offensus esset, eo placatum iri alii numini aut causam offensionis remotum iri sibi que numen aut deum rursus fauturum esse. Apud Catonem (agr. 83), ut exemplar hic detur, carmen inuenimus, quo cantando a Marte Siluano petiuit pater familias, ut uoletudinem redderet bobus. Auctor libri de agri cultura rem diuinam illam uel a seruo uel a libero fieri licere uerbatim addidit. Bene uidemus, quanti rationes medicinae Romanae aestimauerit, quas traditas coleret Italiae proprias, quippe qui Graecis maledicens Romanas laudaret.

(37) Varro (r.r. 2,1,22) item pastorem diligentem nosse remedia scripsit, quibus morbos et pecoris et hominum ipse curare posset; illis de remediis scripta

¹⁵ Oberhelman, Steven M., *Dreams in Graeco-Roman Medicine*, ANRW II,37,1 (1993), 156.

magistrum pecoris habere oportere; nisi alio genere morborum, quos curare pastor nequiret, homo aut pecus esset affectus, medicum adhiberi opus non esse; medicinae tres partes esse: causam morbi primum esse intelligendam, deinde signa, tertium animaduertendum, qua ratione curandi uti deberet pastor. Quod plerumque illum ipsum facere posse. A Varrone ergo discimus medicum non aduocatum nisi pastor morbum non intellexisset aut rationem curandi ignorasset. Quare pastori et magistro pecoris profuisse scripta de morbis et remediis, ut librum Catonis, habere dixit. Idem auctor, ut Plinius (nat. 34,108) nobis narrat, questus est, quod medici morborum curam ignorarent, cum eorum nomina bene nossent, et in saturis Menippeis, quae nobis nisi fragmentis traditae non sunt, quod tot homines se medicos simularent.¹⁶

(38) Dum res publica Romana ualebat et Roma ipsa usque ad saeculum tertium post Christum natum, medici plerumque nominibus Graecis appellabantur. Non aliter atque philosophia et litterarum genera multa ars medicinae a Graecis in imperium Romanum inducta et translata est, cum cultura Graeca multis in rebus cotidianis a Romanis acciperetur et coleretur.¹⁷ Saepe erant serui aut liberti, qui arti medicinali studebant, ut res omnis minoris aestimaretur. Plato opere in suo, quod leges aut νόμοι inscribitur, ab paragrapho 720a usque ad paragraphum 720e medicos duas in partes diuisit: alteros esse seruos, qui neminem nisi seruos curarent, alteros liberos, qui liberis ciuibus mederentur. Quod medicos eo modo diuisit, potius sententiis illius de re publica et scientia dictis quam rebus ueris respondisse uidetur.¹⁸

(39) Cum Caesar medicos omnes urbem incolentes ciuitate donauisset, ut Suetonius (Iul. 42) refert, status eorum multum commutatus non est.¹⁹ Multi a Caesare ciuitatem promittente ad urbem illecti sunt, ut non dubitem, quin inter eos et multi fuerint, qui male tantum aut minime docti artibus medicinae essent. Homines omnium gentium et ordinum Romam ierunt. Plautus Tyndarum seruum (Capt. 335) dicentem fecit Menarchum medicum clientem esse. Cicero (off. 1,151) medicinam sicut architecturam et doctrinam rerum honestarum

¹⁶ Scarborough, John, *Roman Medicine to Galen*, ANRW II,37,1 (1993), 17f.

¹⁷ Nutton, Vivian, *Roman Medicine*, ANRW II,37,1 (1993), 59.

¹⁸ Nutton, Vivian, *Medizin*, DNP, 7 (1999), 1110.

¹⁹ Nutton, Vivian, *Medizin*, DNP, 7 (1999), 1112f.

laudauit, quae iis, quorum ordini conueniret, honesta esset. Ordinem illi et Romanis magni fuisse scimus. Quod non est mirandum. Ordines et status semper eis magni esse constat, qui ordine uel statu maiore sunt, namque ii sunt, a quibus homines eos in ordines diuisi sunt. Pauper nemo umquam in animo habuit homines in diuites et pauperes, in patricos et plebeios diuidere et diuitibus priuilegia et commoda et luxus praebere egestate sibi contributa; ditissimus quisque idem in animo habet. Pauper nemo timuit umquam, ne sibi una cum aliis suum commune habendum esset, ditissimus quisque semper timet, ne suum sit et aliis. Cicero cum medicinam efferret, illam tantum, qua medici ad aegros ordinum maiorum curandos utebantur, aspexit. Qualis medicina inter pauperes et humiles esset, Cicero eo loco non explicauit. Quodsi ordines senatorum et equitum reputare uolumus, nihil e Ciceronis uerbis intellegimus nisi medicinae uel aliis artibus, quas memorauit - ut architecturam, doctrinam rerum honestarum -, aut prudentiam maiorem inesse aut non mediocrem utilitatem quaeri. Medicina quoque, qua Romani diuites curabantur, medicos sibi non solum honorem et gloriam, sed etiam multum pecuniae acquisiuisse constat - ut exemplaria duo afferam, Catonem uel Plinium commemoro, quorum scripta alio loco diligentius iam explicaui. Pauperibus autem plerumque non erat satis pecuniae, qua medicis doctis pro cura necessaria soluere possent. Quare facere non poterant, quin hominibus confiderent, qui aut minus essent instructi arte sanandi aut medicinae imperiti se medicos tantum simularent. Ob egestatem saepe cura aut nulla aut falsa et male applicata moriebantur.

(40) Varro cum disciplinarum libris nouem, quod opus senex scripserat, medicinam et architecturam artibus liberalibus septem adiunxisset, medicinam, quam usque ad id tempus inter negotia seruilia Romani habebant, negotium dignum, cui homo liber studeret, redegit.²⁰

(41) Quod ad honorem et gloriam attinet, Antonii Musae non est obliuiscendum. Illi medico, cuius opera ex ancipiti morbo Augustus conualuisset, statuam aere conlato iuxta signum Aesculapi statuuisse ciues

²⁰ Önnerrfors, Alf, Das medizinische Latein bis Cassius Felix, ANRW II,37,1 (1993), 230f.

Suetonius (Aug. 59) refert. Quem princeps et equitem fecerat, illum statua exstructa multis Romanis notissimum fuisse uerisimile est. Mox medici multi ex oriente Romam uenerunt, ubi se quisque diuitem et notissimum diuitibus et notissimis ciuibus curatis breui factum iri speraret. Vbique Romae unguentarios, seplasiarios²¹, aromatarios, turarios, pigmentarios fuisse et floruisse constat, qui Romanis medicamenta notissima aut secreta uenditabant. Quis dubitet, quin inter eos multi circumforanei pharmacopolae fuerint, quibus non salus populi, sed eius aes plurimi esset?²²

(42) In toto imperio Romano medici, qui plerumque Graeci erant, artem suam colebant. Quibus ubique ergo de aegrorum beneuolentia fideque erat certandum et uerbis et factis et rebus fictis, cum illi, qui omnia genera morborum et malorum se curare affirmabant, se plus ualere monstrare contendebant quam illos, qui non nisi unum morbum specialem siue oculorum siue membrorum curare se profitebantur. Praeterea multi erant, qui herbas a se secreta et obscura ratione commixtas et praeparatas uendebant. Nec est obliuiscendum prophetas aegris multis scientia sua magica consuluisse, quam eo melius simularent, quo spes reualescendi minor esset. Innumerabiles erant, qui carminibus plus uirtutum inesse putarent quam arti medicinae. Cui homines maxime confiderent, multum differebat inter prouincias. Imprimis a statu illorum, quibus medici medebantur, dependebat: Illi, quibus senatores uel propinquos imperatoris uel Caesarem ipsum curare licebat, mox plurimum ualebant et plus aeris merebantur quam ii, quibus non optimates sed plebs curae erat. Ruri in prouinciis contra medici, quorum maiores iam medici fuerant, saepe auctoritate magna apud incolas regionis suae multum poterant. Romae serui a medicis sanari solebant, qui ipsi serui erant. Multi e prouinciis in Italiam et Romam contendebant, ubi sperarent se fama auctum iri. Cum alia oppida Graeca, quae multum ex hereditate temporum praeteritorum florebant, tum Ephesus et Alexandria artibus medicinae notissimae erant.²³

²¹ cf. Petronius, LXXVI, 6, ubi scripsit seplasion aliasque res multas magni uenire.

²² Paoli, Ugo Enrico, Das Leben im alten Rom, Tübingen, Basel 2001⁴, 237.

²³ Nutton, Vivian, Medizin, DNP, 7 (1999), 1113.

(43) Romani cum primum Graecos eorumque culturam conuenerunt, eorum scientiam medicinae libenter acceperunt. Apollini, cui epitheton medico dederant, templa dedicabant peste curata, quae in Italia saeculo quinto ante Christum natum saeuiebat. Anno CCXCV ante Christum natum cum incolae Romae peste torquerentur, Romani Graecos medicosque eorum consuluerunt legatos in Graeciam mittentes. Qui signa sacra Asclepii Romam rettulerunt, cui Romae extra pomerium in insula Tiberis templum exstructum est. Romani quod ibi templum erexerunt, religionem et suspicionem, quam in deos extraneos sentiebant, demonstrabant. Sed peste superata templum Asclepii famosum factum est et multi Romani illum deum Graecum reuerebantur, quem mox nomine Latino Aesculapium appellabant.²⁴

(44) Romae, qua tempore diui Augusti et imprimis temporibus imperatorum subsequentium nulla urbs maior uel cuius nulla nisi fortasse Carthago, Alexandria, Antiochia magnitudine similis erat, medici aliter atque ruri artem suam exercere solebant. Plurimi eorum curando tantum uictum quaeritabant. Populus Romae habitans, cui medici seruiebant, paulatim a moribus rusticis remotus uitam suam peragebat, ut iam oblitus esset principiorum, quae Catones, quibus nihil carius et dignius conseruari et coli esset moribus maiorum, composuissent. Inter res graues, quorum obliti erant homines, erant ars medicinae et remediorum scientia. Quomodo pauperes Romam eo tempore incolentes negotia et officia exsequi poterant? Quomodo, qui feruentem Suburam inhabitabant quibusque horti culti non erant, herbas aliaue remedia sibi colere poterant, quae Cato ipse in uilla magna habitans pastori colenda esse scripserat? Multitudine hominum unum in locum condensata opus erat medicis, cum, quomodo se quisque ipse curaret, oblitus esset. Conuenerint, quaequae Censorius praescripserat, ad illius temporum mores, ad tempora Caesarum certe non conuenerunt.²⁵ Illam scientiam tamen loca rustica incolentes conseruabant. Romae autem locus erat, ubi medici diuites fieri possent: Illi, quibus contigisset, ut senatores uel propinquos Caesarum sanarent, fortunis maximis et gratia procerum se donatum iri sperare potuerunt.

²⁴ Scarborough, John, *Roman Medicine to Galen*, ANRW II,37,1 (1993), 23.

²⁵ Nutton, Vivian, *Roman Medicine*, ANRW II,37,1 (1993), 66.

Sed ubi alius opes illas sibi acquisiuit, semper est alius, qui illi ob res easdem inuideat. Et inuidia prima et fortasse optima est causa odii et maledicendi. Sic medici, cum primum nonnulli ex illis diuites facti sunt, a populo in dictis cotidianis, dein ab auctoribus in scriptis maligne tractabantur. Nulla materia ad scribendum est aptior quam id quod legentes in sermonibus ipsi disputant. Quisnam id dubitaret uel falsum declararet? Ergo medici propter diuitias saepe eludebantur deridebanturque. Quis nostrum dubitet, quin hoc imprimis ob inuidiam egentium in opulentes factum sit? Certe erat modus, quo ira et inuidia plebis partim deferuere possent. Quod ad inuectiuas e pecunia commotas pertinet, si legere uis, confer, quod infra descripsero, hic non nisi de causa, quae aegris male tractatis creuit, dicere conor.

(45) Dioscurides Pedanius fuit medicus Graecus primi saeculi post Christum natum. Qui libris quinque de materia medica scientiam herbarum et remediorum sui temporis tam bene exposuit, ut libri per saecula sedecim fere a medicis et herbariis legerentur. Quae ille scripserat, tam probata usu, tam collecta experimento, tam libera doctrinis et disciplinis erant, ut opus uix emendandum esset. Herbarum usum et effectum, quem descripsit, bene expertus erat ante. Non solum herbas et flores, sed etiam materias, quae ex animalibus aut metallis deductae sunt, libris suis collegit. Se refert militem fuisse, qui multa loca uidisset. Ergo sibi saepe contigisse, ut in itineribus cum incolis colloqueretur, quo multum de herbis et medicamentis locorum uariorum disceret. Operis in praefatione se perdidicisse professus est, cum plura accuratissime ipse uidisset, alia tamen partim e concordia apud omnes historia, partim ex indagatione eorum, quae gentes apud singulas essent domestica.²⁶

(46) Quanti lingua Graeca medicis fuerit, Plinius (nat. 29,17) descripsit: auctoritatem enim aliter quam Graece eam tractantibus etiam apud inperitos expertesque linguae non esse ac homines minus credere, quae ad salutem suam pertineret, si intellexerent, quae dixissent medici. Nonne est fortasse causa eadem, cur etiam hodie, cum linguae Latina et Graeca iam diu ex scientia maximae partis hominum expulsae sint, medici eis linguis uti pergant,

²⁶ Riddle, John M., *High Medicine and Low Medicine*, ANRW II,37,1 (1993), 103f.

cum de morbis et uulneribus colloquantur? Medici antiqui iam putauisse uidentur ab aegris, qui comprehendere nequirent, de quibus rebus medici inter se ipsi Graeca lingua disputarent, se pluris aestimari, se apud illos maioris auctoritatis esse. Qui non intellegit, quod dixerunt alii, eos ob errorem ullum repudiare non potest. Iam Sibylla uoce non clara futurum cecinisse non secus atque Pythia fertur. Cum illis uatibus deus Delius mentem inspiraret futurumque aperiret, medici confidere non poterant sibi Asclepium consilia ad medendum praebentem semper adfuturum. Quare fortasse optimum medicis erat de morbis lingua Graeca disputare et consilia quibusdam uerbis ab aegris non bene comprehensis celare, quibus auctoritatem et scientiam et peritiam melius simularent. Proceres autem, ut scimus, saepe bene docti erant lingua Graeca, ut ea lingua, quod medici dicerent, non obscuraretur, imprimis si cogitamus proceres ut patricos fortasse eius linguae multo peritiores fuisse quam plebeios medicos. Illi fortasse primi fuerunt, qui intellegerent medicos quosdam Graeca lingua nihil nisi falsam scientiam recitare.

(47) Eodem modo medici nostri interdum nos fallere uidentur: Quamquam lingua Graeca ipsi bene docti non sunt aut nomina morborum tantum reddere possunt, nos, si de morbo interrogare audemus, uerba Graeca offerunt uel potius obiciunt, quasi si nobis persuadere temptent morbum melius sanari, quem non tussim sed βήχᾱ, non tabem corporis sed φθίσιν appellent. Quidquid temporis erat, aegri semper malebant se plus nosse de morbis curandis quam nominandis, medicis autem pluris fuisse uidetur nomina edere quam morbum sanare. Cur non intellegere possunt medici aegrorum minime interesse, quo nomine appelletur morbus, quo doleant, dummodo sanentur? Et cui aegro bono umquam fuit morbi nomen scire, quo moreretur (quasi Charon ex illis umquam quaesiuisset, quo nomine morbus appellaretur, quo mortui essent, ante quam illos Stygea lintre acciperet)?

(48) Cum Romani Catonis temporis bene scissent, quomodo se ipsi curarent, illi saeculorum subsequentium id scientiae amiserunt et ob inscientiam suam modo pecunia artem medicorum pensauerunt, modo morte sua, nonnumquam utraque. Iam Plinius tamen cum Catone uetere et reuerendo consenserat,

quidquid medici Graeci multo facerent artem simulantes, nihili esse, ut fraudem illorum patefacere temptaret.²⁷

(49) De Dioscurida Pedanio supra commemorato cogitantes discimus eum unum e medicis fuisse, qui artem medicinae bene nossent. Quam non semper temporibus antiquis fuisse consuetudinem per exemplaria multorum aliorum manifestum est, qui se medicos appellantes aut nihil aut non satis materiae curandi didicissent. Dioscuridi ipsi materiam operis colligenti Asclepiadae Bithynii in mentem uenit, quem iam Plinius (nat. 26,12) medicum factum esse descripsit, non quo aegris hominibus mederetur, sed ut multum aeris medicum doctum se fingens acciperet. Quem aetate Magni Pompei orandi magistrum nec satis in arte ea quaestuosum, ut ad alia quam forum sagacis ingenii, ad artem medicinae se repente conuertisse atque, ut necesse esset homini qui nec id egisset nec remedia nosset oculis usuque percipienda, torrenti ac meditata cotidie oratione blandientem omnia abdicauisse totamque medicinam ad causas coniecturae fecisse. Dioscurides opus, quo herbas aliasque materias ad medicinam utiles descripsit, medicis prodesse uoluit, qui scientiam suam augerent, qua aegris opere lecto melius mederi possent. Quamquam philologi et medici nostri temporis non habent sibi persuasum morbum, quem glaucoma appellamus, eundem esse, quem medici temporis imperatorum Romanorum primorum iam norant, Dioscurides descripsit, quomodo morbum glaucomatis ueratro albo sanaretur. Quam herbam medici nostri temporis ad glaucoma sanandum utilem esse sciunt, ex qua medicamentum praeparetur. Herba quaedam, qua dolores podagrorum leniri possunt, iam a Dioscurida relata est. Medicamentis enim, quibus hodie medici ad podagram leniendam utuntur, eadem materia inest. Haec duo sunt exempla, quibus clare uidemus, quam doctus et peritus medicinae et herbarum Dioscurides fuerit. Ille tamen erat unus e paucis, qui inter magnam multitudinem simulantium et fraude et dolo fingentium recte colebant artem medicinae.

(50) Dioscuridem cum Asclepiada comparantes intellegimus duos medicos nobis ante oculos esse, qui alter ab altero non longius distare possunt uirtute et

²⁷ Sallmann, Klaus, Plinius der Ältere, in: Ax, Wolfram (Herausg.), Lateinische Lehrer Europas, Fünfzehn Portraits von Varro bis Erasmus von Rotterdam, Köln 2005, 56.

scientia artis suae. Cum alter rem, quam commisit, uitam militarem peragens et scientiae multum studens bene didicisset, alter rem nisi pro pecunia non suscepit. Eis commemoratis clare demonstratur, quam difficile sit argumenta inuidiarum, quas iam in praefatione enumeraui, stricte separare. Homines saepe medicum, cui ob imperitiam maledixerunt, et ob auaritiam et cupiditatem pecuniae, qua commotus aegris et uulneratis mederi coepisse uidebatur, repudiauerunt. Hic tamen imprimis de peritia - quam magis placet imperitiam appellare - medicorum est disputandum. Nec semper fit, ut homo, qui pecuniae causa magis quam aliis ex causis medicus est factus, male sanet aegros, sed raro fit, ut bene sanet. Constat euenire, ut non solum medici, qui studio rei et amore aliorum istud negotii sibi elegerunt, sed et alii medici boni fiant. Sed constat quoque plerumque eos, qui, quod faciunt uictum cotidianum ad merendum, et studio et amore implent, id multo melius perficere. Nam scientiam et artem medicinae - quamquam e natura hominum dependet, num singulis in hominibus hae uirtutes ualeant - facilius accipere et discere possunt, qui naturam impigritate et cupiditate augeant.

MEDICOS SAEPE STATV ET ORDINE HVMILORE FVISSE

(51) Saeculo secundo post Christum natum in toto imperio Romano tria genera medicorum erant: Alii publicum salarium pro arte sua accipiebant, alii seuiri facti officiis minoribus fungebantur, alii urbanis proceribus seruiebant.²⁸ Catonis temporibus Romani a medicis publicis non postulabant, nisi ut disciplina et arte medicinae instructi essent. Mederi res erat hominum priuatorum nec ciuitatis nec rei publicae. Se quisque medicum appellare potuit, si uoluit. Nec examina nec probationes, quibus artes publice aut coram peritis et doctis demonstrarentur, erant absoluendae. Non nisi e successu et rumore dependebat, quem medicum adirent aegroti, si omnino plures uno medico prope erant. Hominibus multis seape longe erat eundum, ut medicum uiderent. Si unus tantum erat medicus in uicino, quis e uolgo ausus est inquirere, quali scientia ille unus esset? Ille aegrotis aduocandus erat. Eo modo homines scientia patrum familias amissa aes et ualetudinem soluebant pro eo, quod

²⁸ Nutton, Vivian, Roman Medicine, ANRW II,37,1 (1993), 71.

scientia non amissa ipsi scituri fuissent. Nemini interdictum erat, qui antea faber aut tignarius aut ferrarius fuerat, quin inde medici nomine mercedem sibi acquireret,²⁹ ne postulatum quidem erat, ut ferramenta mutaret. Licebat omnibus arte medicinae uti, quaqua scientia erant.

(52) Castris in magnis tamen ualetudinaria erant, ubi milites curabantur. Seruis quoque similis cura praebebatur. Vulnerati et morbosi unum in locum portabantur, ut a medicis publicis sanarentur. Vt Graeci iam fecerant, imperatores Romani omnes, qui artibus medicinae studerent, a tributis liberauerunt, Antoninus Pius tamen medio saeculo secundo post Christum natum numerum illorum, quibus id priuilegium erat, terminauit et leges intulit, quibus diligenter constitueretur, qua scientia et arte illos esse oporteret. Maxime ualuerunt medici aulae principalis, qui sexto certe a saeculo post Christum natum per praecepta omnibus medicis imperii praeerant. Quod ius tamen ob magnitudinem imperii multasque causas alias non nisi nomine exercere potuerant.³⁰ Cura plerumque celeriter agenda erat. Non erat satis temporis, ut praecepta uel opiniones illorum exspectarent, qui uulnera grauissima uel morbos remotis in locis medicamentis et remediis mitigabant. Quisnam modos et rationes eorum, qui aderant, repudiasset, quibus aegroti reualescerent? Cui magni fuisset, quibus remediis partim obscuris partim arcanis et secretis curam darent, dummodo aeger amatus morbo uicto laetitiam et uitam reciperet? Quidquid medici faciebant, non nisi e successu homines iudicabant, quantae auctoritatis et famae medici essent: num laudandi aut repudiandi essent.

(53) Medici publici a ciuibus sunt electi, et eligendis ante medicinae peritos, qui ipsi medici erant probato honore, demonstrandum erat, quantum de medicinae arte scirent. Priuati autem medici non probabantur, sed licitum est omnibus medicinae studere eamque colere et medicos se appellare, ut supra iam explicauimus. Se quisque ipse curabat aut ad arbitrium suum medicum elegit. Medicus ad ius non ante uocabatur, quam quid in curando accidisset detrimenti grauissimi. Phaedrus (fab. 1,14) nobis narrat, quomodo sutor quidam, qui malus et inopia deperditus esset, ut nemo pedes illi committeret, uerbosis strophis sibi

²⁹ Nutton, Vivian, *Roman Medicine*, ANRW II,37,1 (1993), 56.

³⁰ Nutton, Vivian, *Medizin*, DNP, 7 (1999), 1114.

famam medici adquisiuerit, ut suum quisque ei crederet caput.³¹ Plinius (nat. 29,12) primum medicum Romae Archagathum quendam fuisse scripsit. Quem iure Quiritium anno CCXVIII ante Christum natum accepto in taberna, quae publice emptā esset, ubi artem suam perficeret, tam saeue secuisse et ussisse, ut mox nomine carnificis appellaretur. Mox uolgens honoris, quem arte medicinae primum meritis esset, oblitum esse illique maledixisse. Num uere medicus primus Romae fuerit, non manifestum est, quod fortasse eius nomine tantum, cui initii boni significatio inest, factum est, ut ille primus fuisse diceretur.³² Manifestum quidem est aegris curando multos dolores ferendos fuisse. Nec magni est, num uere primus fuerit. Pluris est, quomodo Archagathus a populo et senatu Romano tractatus sit. Priuilegia ciuitatis et tabernae illi a senatu aut populo data erant publice, ut non aliter atque βουλή, concilium Atheniensium, medicum mercede conducerent. Non dubitamus, quin Cato eum minime consuluerit. Quem potius, cum prope tabernam illius Graeci ambularet, iterum iterumque „o tempora, o mores“ exclamaturum fuisse putamus, si Cicero - eo tempore qui non iam erat - orationem suam primam in Catilinam iam habuisset. Tabernam Archagathi Catoni intolerabiliorem fuisse putare libet quam spinam in uiscera aut oculum inflictam.

(54) Cum cogito Archagathum carnificem appellatum esse ob curam, quam aut caedendo aut urendo illis, qui eum medendi causa adissent, daret, dubitandum mihi est aegro medicos adire, quod timeo, ne mihi sit cura similis. Si quaesiuero, cur id timoris mihi sit, nihil pro argumento adducam nisi nos hodie omnes aut aegros aut uulneratos una uoce patientes a medicis appellari. Nemini ergo conqueri licet, qui ante curam tam claro indicio monitus est. Apparet certe, quot Archagathi etiam nunc inter medicos sint, ut nos, qui medicos adimus, patientes nominemus. Nisi dolorem in curando ferremus, nos non patientes sed curandi appellaremur aut alio nomine, cui non inesset monitum doloris. Quam felices sumus, quoad a medicis patientes nec morituri appellamur!

³¹ Paoli, Ugo Enrico, *Das Leben im alten Rom*, Tübingen, Basel, 2001⁴, 239.

³² Wellmann, M., Archagathos (7), RE, 3 (1895), 432f.

(55) Reuocemus nos ad rem Romanam: Ante quam quid detrimenti acciderat, res non erat iudicium: Primis saeculis per leges duodecim tabularum, dein per legem Aquiliam aliasue leges uel praescripta iudices iudicabant, quid damni et quae poena soluenda esset. Qua lege ab Aquilio tribuno plebis saeculo tertio ante Christum natum inlata constitutum erat, quantum aeris domino rei caesae aut ustae uel alio modo deletae ab illo, qui eam iniuriam fecisset, dandum esset, ut poenas solueret. Vt exemplar legis Aquiliae detur, hic reuocabo, quod Labeo dixit ad iudicandum, num obstetrix, quae mulieri medicamentum malum dedisset, damnanda esset: Si obstetrix medicamentum dedisset et inde mulier perisset, esse distinguendum Labeo scripsit, ut, si quidem suis manibus supposuisset, uideretur occidisse; sin uero dedisset, ut sibi mulier offerret, in factum actionem dandam. Quam sententiam ueram esse; magis enim causam mortis praestitisse quam occidisse obstetricem.³³ In factum actiones enim praetores, ante quos causas dicebant partes litium, praebere solebant, si dominos rerum deletarum dignos iudicabant, qui actiones contra reos intenderent, nec e legis actionibus, quae lege Aquilia nominatim erant constitutae, ad res iudicandas eligere poterant ullam. Quas actiones ergo praetores, si ad rem pertinebant, potestate sua praebebant.^{34,35}

(56) Quo exemplari facile intellegi potest, quam periculosum fuerit se medicum uel obstetricem uel alia arte medicinae peritum declarare. Vt iam in praefatione indicaui, honorem, quem medicus sibi acquisiuit, imprimis dependebat a successu curae: Aeger si reualuerat, parui erat, quo remedio curatus esset. Item, si decesserat, num optimis remediis aegrum sanare medicus temptasset, relictorum amantium haud intererat. Maerore commoti illi reperiabant causam mortis et plerumque medico, qui morienti mederi non potuerat, irascebantur. Suspiciari medicum causam dedisse mortis semper facilius erat quam ineuitabile fatum mortis ferre. Sic saepe eueniebat, ut medici, quidquid herbarum aut remediorum morienti dedissent potatum, uenefici appellarentur. Aegro mortuo relictis non scire, quo remedio dato medicus non contigisset, ut

³³ cf. Ulpian 18 ed. D. 9,2,9,1.

³⁴ Kaser, Max, und Rolf Knütel, *Römisches Privatrecht*, München 2008¹⁹, §§ 33 und 82.

³⁵ Zimmermann, Reinhard, *The Law of Obligations: Roman Foundations of the Civilian Tradition*, Oxford 1996 (Nachdruck), 981.

aegrotum sanaret, sed reum caedis accusare uolebant. Quare omnia remedia, quae aegrotus iussu medici biberat, uenena fuisse putabantur. Ergo inter medicos et ueneficos saepe nil nisi ualetudo erat illorum, qui curabantur: medici erant, qui aegrotos siue arte siue forte sanauerant, uenefici contra, quibus non contigerat, ut aegri sani fierent. Simili modo instructos, qui Neronis aliorumque principum in aula merebantur et illorum iussu remediis aut uenenis utebantur, medicos aut ueneficos appellare libet. De iis infra plus dicendum est.

(57) Hic et nunc rationes et modos medicinae antiquae paulum demonstrabo. Celsus³⁶, qui saeculo primo post Cristum natum inter libros multos, quibus scientiam sui temporis de agricultura, de re militari, de philosophia, de arte dicendi, de iuriprudencia composuit, et octo de medicina (qui soli nobis traditi sunt) edidit. Viri docti adhuc multum disputant, utrum ille fuerit medicus an uir multarum rerum peritus, qui, ut Varro uno fere saeculo ante, de rebus uariis scriberet, quod multiplici rerum uariarum cognitione esset. In opere de medicina Celsus igitur descripsit, qua arte et cognitione medicum optimum esse oporteret. Dein Celsus (med., prooem. 46) affirmauit, cuius rei non esset certa notitia, eius opinionem certum reperire remedium non posse. Ergo poposcit, ut medicus nosset, quae esset aegri natura. Optimum esse, si medicus aegri esset amicus, qui et proprietates illius et mores nosset. Celsus enim cum ibi imaginem et personam medici optimi describeret, patres familias ante oculos sibi posuit, qui familiares omnes ex sua notitia optime curarent, ut Cato, quod supra descripsi, iam dixit. Salutem aegrorum esse, de qua medicis maxime esset cogitandum, namque medicorum esse officium, ut tuto, ut celeriter, ut iucunde curarent (med. 3,4).

DE MEDICIS AVRI CVPIDIS

(58) Cum Celsus amicum aegri optimum medicum duceret, Publilius Syrus mimus inter sententias a se compositas nobis tradidit prouerbium, quo dictum est amicitiam aut familiaritatem uitandam esse: male secum agere aegrum, qui

³⁶ Šimon, František, Das Bild des idealen Arztes in Celsus' Werk de medicina, Graecolatina et Orientalia, XXV-XXVI (1997), 99-105.

medicum heredem faceret³⁷. Volgus timere uidebatur, ne medicus, qui aegrum curaret, spe aeris futuri commotus retineretur, quin aegri in salutem curam uel diligentiam conferret optimam uel necessariam. Si aeger reualuerat, nemini testamentum aegri suspicioni fuisse constat. - Etiam si in lecto ualeitudine fessus id dictasset, nemo propinquorum eo offensus esset: Testamentum non exsequendum fuisset, cum non esset mortuus. Sin secus quamuis maxima conlata cura aeger decessisset, quomodo medicus alios impedire potuisset, quin se reum caedis putarent? Hereditatis spem semper putassent causam fuisse, cur aegro male medicatus esset. Heredes alii certe effecissent, ut medicus in suspicionem ueniret, imprimis si hereditatis partem amississent.

(59) Pecunia, quam medicus ob curam suam, siue aeger reualuerat siue defunctus erat, postulabat, semper multis causa disputandi illiusque repudiandi erat. Vt supra diximus, illa Catoni erat una ex grauissimis causis, cur filio de medicis Graecis interdiceret. Romae uel aliis in urbibus similis magnitudinis, ubi multitudo hominum habitabat tanta, ut alius alium bene non nosset, saepe homines, qui arte medicinae doctos se simulabant, temptabant imperitia sua plus accipere aeris quam merebant. Ruri in uicis, ubi non multi habitabant, facile non erat alios fallere, certe non omne in tempus: Qui aegros non curauerat et frustra potiones uel unguenta parauerat, mox improbus et imperitus et nequissimus notus erat, cui esset suadendum, ut cito uico euaderet, ne uolgus se per ignominiam et dedecus dimissum fugaret. In urbibus contra si qui medicus alios male curauerat, alii id ignorabant. Quis ergo miratur, quod illic tot homines se medicos appellabant medicina non docti? Nam quandocumque quosdam non curauerat medicus, satis aliorum hominum supererat, quos imperitia decipere posset, cum ignorarent alios male curatos. Quo maior urbs est, eo melior locus est fraudis dolique. Magnitudine ciuitatis optime conduntur, quae oculis non sunt uidenda nec auribus audienda.

(60) Medicos, quibus contigerat, ut graues morbos illorum, qui ordine maximo nati uel diuites erant, curarent, mox honore et fama maxima elatos praeclarissimos ipsos factos constat. Hic rursus Antonium Musam commemoro,

³⁷ cf. Publilii Syri mimi sententia M24.

qui dolores Augusti diui leniuit, quo cum uitam principis tum suam amplificauit. Qua re se melius ornare potuit quam principis bona ualetudine?

(61) Celsus hominem, qui nomine medici alios falleret nec nisi pecuniae causa eis mederi se simularet, histrionem appellauit. Quem paruam rem ad tollere solere, quo magnam praestitisse uideretur (med. 5,26) eoque sibi plus quaestus, cui soli seruiret, poscere posset, illum igitur praecepta illa anteferre, quae sedulitatem non exigerent (med. 4,10). Cui optima esse, quibus quaestum augeret, etiamsi salutem aegri ueram neglegeret. Celsus quidem constituit, ut medicus quam plurimas horas cum aegro ageret, quibus illius saluti prospiceret. Ergo conclusit medicum, si artifex esset, multos aegros uno tempore curare non posse (med. 4,9). Id esse, quo medicorum artifices et histriones differrent, cum alii saluti aegrorum, alii pecuniae suae seruirent; quod ut facerent, opus esset histrionibus multitudinem aegrorum simul habere.

(62) Scriptis suis Plinius et Galenus dolos multorum hominum, qui immeritissimo medicos se dicerent, denudauerunt. Sic rationes eorum medendi nihil nisi fraudem aut res magicas esse demonstrauerunt. Per uolgos multa carmina tradita sunt, quorum uirtutibus dolorem capitis uel cordis uel corcum uel podagram multaue alia mala sanari posse aegri putabant. Marcellus Empiricus Burdigalensis saeculo quarto exeunte uel quinto ineunte post Christum natum quaedam carmina eius modi in libro de medicamentis elegit composuitque. In scribendo ei opus quoddam, quod medicinam Plinii appellamus, unus ex fontibus erat. Id opus tamen non a Plinio, quem supra memorauimus, scriptum est, sed saeculo quarto post Christum natum ab auctore ignoto, qui se Plinium Secundum Iunioem nominat. Qui initio operis professus est se temptare impedire, ne medicamenta falsa et simulata emerentur uel sumerentur. Multa, quae composuit, e naturali historia Plinii sumpsit. Praeterea carmina curasque alias commemorauit, quibus non inessent uirtutes herbarum.³⁸

(63) Cum Dioscurides usum et experientiam medicinae libris componere temptasset, Galenus ambitiosior erat, quippe qui illos cum ultima ratione

³⁸ Touwaide, Alain, *Medicina Plinii*, DNP, 7 (1999), 1096f.

scientiae coniungere et miscere uellet.³⁹ Galenus erat auctor, qui artem medicinam et rhetoricam opere suo coniungeret. Aliter atque ille, qui libris de materia medicina ea collegerat, quae de morbis et herbis ut medicus didicerat, medicinam expertus est Galenus, quod philosophus erat, qui rationem bonum ultimum putabat. Qua ductus aegris quoque medebatur: Effectus et signa morborum diligenter conspiciens modum eligebat, quo ad homines sanandos utebatur.

(64) Celsus etiam uulnera enumerauit, quibus affecti miseri ut curarentur, fieri non posset. Insanabilibus uulneribus enim affectum esse, cui basis cerebri, cui cor, cui stomachus, cui iocineris portae, cui in spina medulla percussa esset, cuique aut pulmo medius aut ieunum aut tenuius intestinum aut uenter aut renes uulnerati essent, cuiue fauces grandes uenae uel arteriae praecisae essent (med. 5,26,2). Quare si medicus unum ex his uulneribus se curare posse professus esset, histrionem esse manifestum esse putauit. Ne nostro quidem tempore medicis contingit, ut omnia uulnera, quae Celsus enumerauit, sanent, quamquam artem medicinae per duo fere milia annorum, postquam Celsus opus suum ediderat, ad summam productam esse constat.

(65) „Male habet medicus, nemo si male habuerit“, iam Publilius Syrus sententiam ediderat (sent. 332). Eo, quod his uerbis affirmat, uerbis Celsi non interdicat, etiam si facie prima interdicere uidetur. Medicis enim est bono, si aduocati sunt, ut aegros curarent, cum non nisi eis curandis aes mererentur. Eo modo merere eos nec Celsus nec alii scriptores uetare uoluerunt, ille uerum demonstrare uoluit optimo medico aes merendum non esse plurimi. Cum scriberet medico uno tempore plures aegros non esse sanandos, a medico gratis artem et scientiam populo praeberi noluit, sed prohibere maluit, ne salutes et ualitudines aegrorum Pluti in ara immolarentur. Dum medicus optimam curam aegris daret, et probandum esse docuit, si pecuniam cura dignam acciperet. Sin plus accipere studeret aut dolose se gerens aut histrionis fraudem aut curam non optimam praebens, uituperandum esse illum turpissimum.

³⁹ Riddle, John M., *High Medicine and Low Medicine*, ANRW II,37,1 (1993), 113.

(66) Etiam si Cato et Celsus temporibus uariis de medicis scripserunt, uterque commemorauit pecuniam, quam medici pro arte sua postulabant. Intellegimus, quanti eadem fuerit et medicis, qui eam postularent et acciperent, et hominibus, quibus, si morbo aut uulnere essent affecti, danda esset. Ii tamen de causa differunt, cur pecuniae maledixerint: Alter tamen non nisi ea de causa mercedem dare noluit medicis, quod pecuniam perdere nollet pro re, quam se ipsum sibi melius committere putaret, quippe qui magis scientiae patrum familias confideret quam arti Graecorum dubiosae. Graecos, cum in acie Romanos non superassent, dolo curae simulandae, quae plurimi constaret, peruincere Romanos omnes temptare sibi persuasum habuit. Alter non nisi efficere uoluit, ut medici saluti hominum quam optime consulerent et prouiderent. Si quis pro arte, quam optime prae buisset, pecuniam multam accepisset, non esse uituperandum putauit medicum, sin non curauisset optime sed solum simulauisset curam, ut pecuniam acciperet, maxime esse uituperandum histrionem.

(67) Inuectivae in medicos scriptae aut dictae Romanis gratae erant, ut Martialis ille poeta epigrammaton clarissimus saeculi primi post Christum natum rem eam epigrammatis nonnullis tractaret. Medici multis erant ludibrio. Itaque Martialis quoque quaedam epigrammata in illos cecinit, quorum tria tantum hic laudabo, quod iis ludibrium optime demonstrauit.

1,30:

*Chirurgus fuerat, nunc est uispillo Diaulus,
coepit, quo poterat, clinicus esse modo.*

1,47:

*Nuper erat medicus, nunc est uispillo Diaulus,
quod uispillo facit, fecerat et medicus.*

8,74:

*Oplomachus nunc es, fueras optalmicus ante.
Fecisti medicus, quod facis oplomachus.*

Ludibrium, quod poeta his carminibus in medicos agit, simile est: homo quidam, qui primum medicus erat, idem alio negotio sibi electo facere pergit, quod medicus iam fecit. Siue artem medicinae desiit, ut uispillo fieret, qui homines mortuos sepeliret, siue gladiator, qui alios interficeret in arena, medicus nihil aliud fecit: Tam male curauit, ut homines sepelirentur. Nunc aut uispillo causam nullam moriendi efficiat aut gladiator causam ipsam det, tunc medicus mortem prouexit.

(68) Carmina, quae primum et secundum laudaui, non multum differunt. Quod non solum nomine Diauli, cui utroque carmine ludibrium est, sed toto uersu hexametro manifestum est. Carminis 1,47 uersu pentametro poeta illusionem generaliter, quae populo nota erat et supra commemorata est (id est, quod medicus nil aliud facit atque uispillo aut oplomachus) rettulit, cum in carmine 1,30 eam uerbo clinici imponeret. Nam hoc uerbum ambiguum est. Clinicus de uerbo Graeco κλίνης est deriuatum, quae est aut lectus, quo quis inualidus cubat, aut feretrum, quo mortuus effertur. Cum Graeca lingua aliter atque Latina eodem uerbo utrumque instrumentum appellatur, clinicus est aut medicus, qui aegros in lectis cubantes uisitat, aut uispillo, qui mortuos e domibus ad sepulcra deportatos sepelit.

(69) In carmine quidem, quod tertium laudaui (8,74), in uicem uispillonis Martialis gladiatorem commemorat. Hoc loco medicum uirum, qui gladio et ui maxima alios interficere consueuisset, factum esse narrat, quo fit, ut uis et dolores affirmantur, qui effectus saepe modis et rationibus, quibus medici aegros curent illisque medeantur, insint. Constat medicinam antiquam et curam a doloribus et uiribus liberam non fuisse, quin etiam urendi et caedendi rationes ubique notae erant, quibus medici usi sunt. Fuerunt multi, qui non morbo, sed cura medendi morerentur.

(70) Hic rursus commemorare libet, quod Plinius, ut supra dixi, de Archagatho medico scripsit. Quem quamquam carnificem appellauerunt, tamen medicum malum non fuisse uideri intellegimus, quod a Celso (med. 5,19,27) emplastrum commemoratum est, cuius auctorem Archagatum illum scripsit. Quodsi malus fuisset medicus, cur praeceptum additamentorum ad emplastrum miscendorum

uiri illius, qui plus CC annis ante fuerat, usque ad tempus Celsi traditum esset? Non dubito, quin praeceptum et bono fuerit, nam nisi fuisset, Celsum id non commemoraturum fuisse constat.

(71) Seneca (clem. 24,1) iam scripsit non minus principi turpia esse multa supplicia quam medico multa funera suasitque (clem. 9,6), ut faceremus, quod medici facere solerent, qui, ubi usitata remedia non processissent, temptarent contraria. Medici cum nescirent, quid optimum esset factu, ut morbus aliqui curaretur, quid aliud illis restabat? Primum remedio cognito, deinde incognito uti melius erat quam nihil facere, ubi remediis cognitis curam nullam effecerunt. Cum medici scientia et peritia rationem sanandi intellegere non possent, experiri opus erat, num aliam curam inuenirent saluti aegrotorum.

(72) Idem auctor affirmat id minoris esse, qua eloquentia esset medicus. Negauit enim (epist. 75,6) quaeri ab aegro medicum eloquentem, sed aegrum, si ita competeret, ut idem ille, qui sanare posset, compte de iis, quae facienda essent, dissereret, boni consulere. Nec tamen fore quare gratularetur sibi quod incidisset in medicum etiam disertum; hoc enim tale esse, quale si peritus gubernator etiam formosus esset. Quibus uerbis Seneca clare dixit eloquentia medicis opus haud esse, quamquam ea illis non esset dedecori, nec eam aegris esse commodo, nisi illa superaretur scientia et arte.

DE MEDICIS, QVI NON MEDICAMENTA SED VENENA PRAEBENT

(73) Praeter medicos, qui inuectiuus sunt obiecti eo, quod aegris male medeantur et scientia et peritia, qua opus sit, egeant, medicis eodem modo maledicuntur, qui, quamquam fortasse satis scientiae et peritiae illis est, eis non ad salutem sed ad detrimentum et damnum hominum utuntur. Quin hi magis sint contemnendi quam medici, qui non nisi ob imperitiam aegris damno erant, nemini dubium esse puto. Nam cum illi solum neglegentiae sint accusandi et damnandi, quod ante curam scientiam, qua illi est opus, non didicerunt, hi dolo maximo et pessimo homicidia commiserunt. Medicos sic agentes uidemus potestate imperatorum corruptos esse - quod ad demonstrandum Taciti libri nobis ad manus sunt - eodem modo, quo corrupti erant imperatores ipsi; illi, quod potestatem habebant, alii, quod illis, quibus ea erat, seruiebant eosque

gratiae causa adulabantur. Nisi ipsi fecissent, quidquid imperatores fieri iussissent, fuissent multi alii promptiores. Mihi tamen affirmandum est non solum medicos fuisse, qui crimina committerent, sed illos saepe inter sceleratos fuisse, quod occasiones multae id committendi illis erant, quibus aegri maxime confidebant et a quibus se mox sanatum iri sperabant. Saepe uenena erant, quibus ea crimina parabant. Quorum e scientia et medicinis arte maxime periti erant medici.

(74) Quotiens de ueneno cogito, huius prouerbii memini (quis sit auctor, nescire me pudet), quod ludibrio est: ferunt uenenum esse rationem, qua mulieres libentius non utantur aliis rebus ad interficiendum, quod ueneno liberi somnis non excitentur. - Quis nostrum id cogitans non audit uerba Ouidii illius clarissimi poetae (met. 1,147): *lurida terribiles miscent aconita nouercae!* - Equidem hoc prouerbum mutare malo: uenenum esse rem, qua matres optime filios summam in potestatem prouehant, eos uel imperatores faciant. Quae mater hoc loco aptior est, quae ut exemplar demonstretur, quam Claudia Agrippina?

(75) Tacitus (ann. 12,66ss.) nobis tradit Agrippinam uxorem imperatoris constituisse, ut Claudio marito uenenum delectabili boleto infusum praeberetur. Quod uenenum ante ueneficam, quae eiusdem modi scelerum iam damnata esset, iussu Agrippinae praeparauisse. Ad uenenum aptissimum eligendum illi opus fuisse scientia sua niti, quod imperatoris uxor nec optaret, ut maritus citius obiret ueneno potato, nec eum diutius inualidum uellet. Cum autem Agrippina imperatorem, qui eodem tempore et uinolentia et soluta alio affectus esset, ueneno dato non morientem intellexeret et timeret, ne consilium suum per frustrationem differetur, Xenophontem medicum aduocatum esse. Sic euenisse, ut ille medicus, quem sibi conscius uxor morientis imperatoris iam fecisset, artem medicinam simulans imperatorem interficeret: quem pinnam rapido ueneno inlitam faucibus eius demisisse, tamquam nisus euomentis adiuuaret. Tacitus non dubitat uerbis suis, quibus de morte Claudii scribit, adiungere medicum haud ignarum fuisse summa scelera incipi cum periculo, peragi cum praemio. Homines semper reperiri possunt, quorum non interest, quantam poenam sceleris damnati soluturi sint, dummodo satis praemii sit, quod eo

commisso recipiant. Quid nisi inuectiuam in medicos his uerbis Tacitus edidit? Pecunia quibusdam semper optimum erat instrumentum, quo conscientia recta comprimeretur ad crimen committendum.

(76) Quamquam inuectiuas e cupiditate pecuniae ortas infra diligentius explicabo, locus Taciti, quem modo laudaui, breuiter erat commemorandus. Hic tamen non de auaritia pecuniae, sed potius de ueneno dato dicam. Medici multi saepe studebant, ut medicamina herbaria ad morbos sanandos inuenirent. Nonnulli tamen eodem studio herbas inueniebant, quibus non mederi sed detrimenta et dolores inferre possent aliis hominibus. Erant etiam multi medici, qui sciebant, quibus herbis benignis aliisue remediis efficere possent, ut herbis malignis earumque detrimentis et doloribus occurrerent aut certe uires lenirent. Sic medici medendi et sanandi causa multum de herbis et uenenis didicerant. Quisquis nouit, quo remedio morbos sanet, saepe etiam nouit contraria medicamina, quibus morbos illos euocet.

(77) Sub imperatoribus ut Nerone, qui medicis utebatur, quorum officiis et scientia inimicos hostesue sublato haberet, quidam multum mereri poterant, cum scrupulum et dubitationem ex animis euellerunt et scientia morborum et uenenorum cum in malum inimicorum imperatorum tum in bonum eorundem usi sunt. Sic Nero a matre adiutus in summum imperium uenerat, sic imperium peregit totum a matre liber, ut apud Tacitum legimus.

(78) Stulte Nero, num te fugit matrem cognosse omnia uenena, quibus consumptis eam mori uoluisti! Quomodo putasti mulierem uenenis ullis a te necari posse, quae te ipsa uenenis imperatorem fecerat? Quare non erat mirandum Agrippinam, ut Suetonius (Nero 34,2) tradidit, uenenis in se terparatis et temptatis superfuisse. Quisquis aliis uenena parat, stultus esset, nisi sciret, quomodo se ab eisdem tueretur et defenderet. Et Agrippina bene sciuit, quod esset faciendum saluti suae. Nihilominus interfecta est iussu filii naufragio frustra parato uel aliis modis necandi ad irritum redactis.

(79) Nero rerum potitus se gessit non aliter atque Claudio successit ut heres legitimus matre adiutrice: Constituit, quemcumque in loco inimicorum uel inuisorum habuit, ut necaretur. Et saepe imperauit, ut miseri ueneno obirent aut

uenenum manu sua reciperent. Praeclarissimum est, quod Tacitus (ann. 15,64) de Senecae morte describit: Illum a Nerone ad mortem destinatum, quod coniurationis in principem constitutae conscius et particeps fuisse putaretur, primum temptasse uenas aperire, quo moreretur, tunc uenis apertis non satis cito mortuum aliquid ueneni bibisse; postremo se in balneum inferri iussisse, ubi tandem uapore exanimatus obiret. Quam mortem Tacitus dignissimam philosophi uita aestimauit.

(80) Burrum autem, qui iam sub imperatore Claudio praefectus praetorio fuerat, uerisimile est item ueneno sibi iussu Neronis in os ingesto interfectum esse. Id certe apud Suetonium (Nero, 35,4) et Tacitum (ann. 14,51) sic traditum inuenimus. Tacitus quidem incertum fuisse refert, utrum ueneno an uoletudine moreretur praefectus consultorque principalis. Ille enim eodem tempore iam faucibus tumescentibus et impedito meatu doluisse fertur. Venenum tamen illi nomine remedii inditum esse Tacitus breuiter indicare non dubitat. Quod apud alios a medicis imperatori fidelibus fieri iubere Neroni morem fuisse scimus.

(81) Medici sic iussu Neronis aut aliorum imperatorum scientia medicinali abusi homines non ad sanandos sed ad interficiendos laborabant. Nero cum Statiliam Messalinam ducere uellet, Vestinum consulem interfici iussit, cui eo tempore fato esset quartum coniugem eius mulieris ab imperatore cupitae esse. Longum est hic diligentius explicare illum a Nerone multis de causis inter inimicissimos uiros habitum esse. Quem cum coniurationis Pisonianae participem fuisse non posset probare⁴⁰, eum mori tamen uoluit. Id ad perficiendum Nero medicum cum tribuno et cohorte militum eius in uillam misit. Tacitus (ann. 15,69) eum a militibus comprehensum esse tradit, qui uenis a medico abscissis balneo inferretur et aqua calida mersaretur.

(82) Cum mortium illorum uirorum meminimus et in mente habemus, qua auctoritate medici eis in praeparandis fuerint, fortasse facilius comprehendere possumus, quare Tiberius, ut apud Tacitum (ann. 6,46) legimus, cum iam morbo fessus et morte imminente inualidus esset, firmitudinem simulauerit solitusque sit eludere medicorum artes atque eos, qui post tricesimum aetatis

⁴⁰ Tacitus (ann. 15,68) eum coniurationis conscius aut participem fuisse negat.

annum ad internoscenda corpori suo utilia uel noxia alieni consilii indigerent. Si iam medici illius temporis tam prompti erant ad abutendum scientia et arte sua, quam sub Nerone eos fuisse modo legimus, optimum erat, quod Tiberius fecit. Optime egit, quasi uero iam prouidisset aut sensisset imperatorem Claudium, qui ei multis annis post in imperium successisset, ab Agrippina uxore, quae a medico adiuuaretur, interfectum iri ueneno.

(83) Cui Neronis inimici sunt, praestat illum a medicis maxime distare. Quomodo aeger quidam intellegere possit medicum non esse missum ab inimico ullo, ut se interficiat neue sanet? Quo probatur, quanti fuerit hominibus scire, quod Cato libro docuit, imprimis si aliis essent odio. Qui ipse se sanare didicit, illi non erat opus medicis confidere, si ignorabat, utrum medici ueri essent an ab imperatore alioque hoste missi essent.

(84) Tiberio tamen eo modo prouidenti et de aliis suspicanti, quod in se caedem praepararent, ne cura quidem ea profuerat. Inter homines enim, quibuscum dies ultimos Miseni peregit, fuit Macro praefectus praetorio⁴¹. Qui non aliter atque plurimi mortem Caesaris exspectauit, fuit autem et promptus, ut daret operam, ut manu sua mox id fieret. Quare, cum intellexisset Caesarem per medicum uel uenenum interfici non posse, illum iam uiribus desertum iniectu multae uestis opprimi iussit, quo interiret. Caesarem homini confisum esse maligno constat. Tacitus in annalibus optime demonstraui potestate maxima et imperio summo imperatores corruptos esse. Tamen obliuiscendum non est illos non solos esse, qui corrumperentur, sed multi in aula imperiali uersantes earumdem rerum illecebris scelera et crimina maxima commiserunt. Semper uiris militaribus occasiones optimae erant, sed medici alique imperatoribus proximi non minus occasionum habebant. Et cui est occasio criminis faciendi, eam nonnumquam et captat. Quod fit eo saepius, quo corruptior est animus. Occasionibus saepe temptationes insunt. Illum autem, qui temptationibus esset affectus et commotus, ab illis se liberare non posse, nisi se toto animo illis dederet, Oscar Wilde ille clarissimus poeta Britannicus saeculo XIX iam dixit.

⁴¹ Sic Tacitus (ann. 6,50) refert.

(85) Sic illecebris potestatis et corruptione, quam Tacitus libris suis describit, non solum imperatores plerumque in malos mutati sunt, eadem interdum etiam perierunt (confer, quod supra iam dixi). Medici, qui apud regentes multum ualebant, haud erant dissimiles atque alii, qui alias ob causas florebant. Hic tamen medicorum auctoritatem solum et causas ex ea ortas inuectiuarum demonstrare intersit nostra. Vt iam demonstraui, ei, qui remedium ad morbum curandum utile nouit, saepe et materia nota est, qua ualetudinem in contrariam uertere potest. Quid ergo facilius et aptius est id ad adipiscendum quam scientia abuti?

(86) Nunc ergo hoc opere exeunte imprimis de ea re loquar, qua omnia regebantur temporibus maiorum nostrorum non aliter atque nostris, postquam eam inuenerunt omnibus bono futuram esse sperantes. Mihi ergo de pecunia est loquendum, quae inter causas medicis maledicendi semper grauissima ducitur. Cato Pliniusque medicos Graecos contempserunt, quod mercedem pro arte sua a Romanis ut philosophi et sophistae Graeci poscebant, cum medici Romani - si patres familias medicinae peritos sic appellare conuenit - gratis inter familias eandem artem exercerent. Volebat uterque efficere, ut Romani, quod scientia propria facere possent, ipsi facerent neue a Graecis pecunia data factum haberent. Cato satis esse putauit, si patres familias scientia uere Romana de herbis earumque uirtutibus et de precibus et carminibus tradita uterentur ad medendum. Illum scimus omnem luxum repudiauisse: illum noluisse pecuniam ad rem a peregrinis emendam perdere, quam sibi ipse domi et sine sumptu ullo efficere posset. Quare nobis cogitandum est uerba, quibus filio de medicis Graecis interdixit, a Catone edita esse, ut filium parsimoniam et diligentiam suam doceret. Ille enim Graecam medicinam quoque periculosam putauit, cui minus confideret quam remediis Romanis traditis.⁴² Potius esse confidendum medicinae rusticae semper docuit. Catonem in Graecos medicos tam aspere et acerbe inuectum esse puto, quod timuit, ne morem maiorum et statum patrum familias corrumperent. Omnia enim Graeca atque philosophiam medicinamque Graecorum causam et indicium morum Romanorum corruptorum Cato habuit. Vitam luxuria confertam temperantia prisca amissa

⁴² Scarborough, John, *Roman Medicine to Galen*, ANRW II, 37,1 (1993), 24.

nouis morbis iam affici uidit, quam morum et temporum commutationem asperrime contempsit.⁴³

(87) Ergo non erat ars medicinae, quam Cato repudiauit, sed ea erat medicina tantum, qua medici Graeci Romae utebantur. Argumentum maximum, quod in illos eo loco, quem supra laudauimus, commemorat, uerbo mercedis expressit. Mercedis fraude fallebant medici inualidos et aegros, quippe qui medicinam magno constare uiderent. Nisi bonum utile esset, medicinam aut minoris aut gratis futuram fuisse putabant. Non aliter hodie res habetur. Facile est homines, quamuis peritos et doctos se appellent, de pretio alicuius rei fallere eisque persuadere rem caram et utilem esse, si plurimo uenit. Quot homines putant rei, cui est pretium, et commodum esse! Cato, qui mercedi, quam medici arte sua usi postulant, maledixit, medicos non e beneuolentia hominum sed amore et cupiditate mercedis commotos hominibus mederi solere affirmauit. Quod uitium iam a Platone demonstratum est, cum artem et mortem Asclepii Apollinis filii narraret.

(88) Seneca in dialogo de breuitate uitae (dial. 10,8,2) nobis suasit, ut uideremus aegros, si mortis periculum propius admotum esset, medicorum genua tangentes, si metuerent capitale supplicium, omnia sua, ut uiuerent, paratos impendere! Quo fit, ut medici facile quam maximam pecuniam pro cura poscere possint neque anxii sint, ne homines postulatam non dependant. Quis salutem periclitari audet, quis sibi periculum esse uult, ne medicum offendat, quem ualitudini aut prodesse aut nocere posse putet, quod parcior et auarior esse uideatur neque medicum eiusque artem - quamuis magno constet - sibi emat? Sic medicis pecunia dabatur (quidnam aegri non facerent spem reualescendi ad augendam aut retinendam?) eo promptius, quo magis aegri erant. Quo promptius data erat, eo acrius postea medicis irascebantur et maledicebant, ubi ualeitudinem bonam non reffectam intellexerunt. Quod antea libentius dederant, postea causam irascendi et inuectiuarum habebant.

(89) Quisquis dat, alium et dare uult. „Do, ut des.“ Quod fortasse nostrae ciuitatis est pricipium, quo aliud non pluris existimamus. Id iam Romanis quoque

⁴³ Nutton, Vivian, Roman Medicine, ANRW II, 37,1 (1993), 58.

erat. Cum de more religionis Romanae cogitamus, id principium fuisse intellegimus, cui obsecuti Romani dis immolabant bobus alioque pecore eosque reuerabantur. Ea erat et condicio, qua promissa consentiebant, ut foedera et pacta essent seruanda. Si pecunia frustra data erat - id est si emptor rem acceperat, quae minoris erat quam promissa erat - praetores Romani conditiones (siue id ius conditionem causa data causa non secuta, siue conditionem causa finita appellabant) concedebant illis, qui nomine emptionis decepti erant. Quod ius tamen aegris non proderat in medicos. Irae et inuidiae igitur alio modo satisfaciebant: aut inuectiuas ipsi composuerunt et ediderunt aut inuectiuis, quae aliorum sunt opera, lectis gauisi sunt. Quemcumque modum sibi elegerunt, inuectivae apud homines semper multum ualebant.

DE INVECTIVIS PETRARCAE IN MEDICVM

(90) Hoc genus litterarum ergo per omnia saecula ab hominibus libenter legebatur, ut multi scriptores usque ad tempus nostrum ei materiae uacent. E turba illorum, qui opera talia scripserunt, unum diligentius commemorabo, ut manifestum fiat, qua auctoritate inuectivae Latinorum scriptorum apud posteros fuerint, inter quos Cato primus fuit, qui maleuolentiam et inuidiam in medicos operibus suis coram legentibus confiteretur. Petrarca enim ille scriptor clarissimus anno MCCCLV post Christum natum libros quattuor inuectiuarum in medicum edidit. Quam Karl Enenkel philologus ab inuectiuis antiquorum temporum multum differre professus est et indicauit. Petrarcam non solum urbanam ciuitatem locum malorum et uitiorum descripsisse, sed etiam alium finem, quem auctores antiqui inuectiuis adipisci uellent, in mente habuisse: illum efficere non temptauisse, ut medicus a societate segregaretur; quin etiam medicum partem eius societatis urbanae demonstrari, cum Petrarca solitudinem siluarum bonum ultimum laudaret. Exempla antiqua sequentem tamen nomen medici illius, qui est aduersarius inuectivae, conticuisse, ut iam Romanis consuetudo esset. Cum autem hic non sit locus de Petrarcae inuectiua

disputandi, si plus de ea discere uis, lege commentationem a Karl Enenkel scriptam.⁴⁴

EPILOGUS

(91) Hoc opere ut demonstraui, tres erant causae medicis maledicendi, ut auctores prioris temporis inuectiuas in medicos, siue erant singulae sententiae Catonis, siue libri multi Petrarcae, ederent. Medicos ipsos effecisse non dubito, ut illis ab auctoribus, quos enumeraui, tantum repudiarentur. Salutem et ualeitudinem, quas restituendas curare se professi erant, nisi restituere poterant, aegris eorumque propinquis dolorem et timorem grauem praebebant. Quamquam maxime de tempore antiquo scripsi, requiri tamen licet, quanto illud tempus et nostrum differant. Minime ea differre mihi uidentur. Timore morborum et mortis mox odium et inuidia oriebantur, si medici suspiciebantur nec studuisse nec nixi esse quam maxime, ut aegri reualescerent. Similibus animis hodie homines perturbantur, cum aegri medicos adire coguntur. Quodsi uident medicos quosdam maximam pecuniam et diuitias sibi accumulantes, cum aegrorum dolores uel morbi nec sanentur nec leniantur, hos sensus in iram mutant. Annorum quantumcumque a Catone peractum est, quantumcumque morum uiuendi et rationum sanandi per id tempus mutatum est, nihil timoris hominum, qui aegri reualescendi causa medicos appetunt, ut se iuuent et curent, mutatum est.

(92) Accedit, ut medici saepe se gerant superbe et arroganter, quam si arte et moribus meliores sint aliis hominibus. Medici, qui optimos et - nostro certe tempore - ob uestes candidas, quibus induti perambulant, deorum similes sese aestimant, iram et inuidiam hominum non minuunt. Quin etiam tales affectus in se inuocant! Se fortasse deorum similes aestimant, quod se ab hominibus aliis non solum habitu et uestibus candidis et moribus sed etiam lingua et scriptura, qua utuntur, distinguunt. Si ab aliis non tantum differre uolunt, cur illos adaequare non temptant? Nemo alios tam facile repudiat, quos sui similes esse

⁴⁴ Enenkel, Karl, Ein erster Ansatz zur Konstituierung einer humanistischen Streitkultur: Petrarca's Inuective contra medicum, in Die Kunst des Streitens (Hg. Laureys, Marc, und Simons, Roswitha), Göttingen 2010, 109-124.

intellegit; at cum medicos dissimiles intellegit habitu et moribus multisque rebus aliis, eos et repudiat.

(93) Illis est - nemo ignorat - scientia sanandi, qua uis maxima inter mortales illis est data. Homines multi autem queruntur et irascuntur, si intellegunt medicos ea ui ad commodum suum abuti, illos ea uti non ad medendum sed ad auctoritatem, gloriam, opes suas augendas. Nemo illos negat magna praestare in medendo. Pauci sunt, qui illos dignos admiratione esse negent. Quodsi ea admiratione arrogantes redditi se numquam erroribus incidere posse putant, homines id moleste ferunt. Errare humanum esse constat. Nos omnes erroribus sumus subiecti nonnumquam. Non aliter atque medici! Vtinam id in curando meminissent! Magnum est gaudium, quod recte sanando praestant, magni quoque sunt maeror et luctus, quos male sanando efficiunt. Aureae mediocritatis, quam Horatius (carm. 2,10) obtinendam cecinit, saepe obliti sunt. Vtinam eam obtinerent!

(94) Homines quoque aliis artibus periti se similiter gerunt. Quod humanae inesse uidetur naturae: Quisquis arte uel scientia alios supereminet, gloriam sentit. Medicos non esse constat solos, qui ita agant, hoc tamen in opere nostra non interest, nisi quid ad medicos pertineat. Tacitus in annalibus imperatores potestate maxima corruptos esse demonstrauit - ut supra iterum iam dixi -, gloria corruptos medicos nonnumquam uidemus. Nam e gloria saepe oritur superbia. Sic erat antiquis temporibus, sic nostris est. Ista ergo maxime contemnenda est. Ista erat causa, quare Cato alique auctores, quos hoc opere laudaui, medicis maledicerent.

(95) Intellegere possumus cum rationes medendi uiasque curandi annorum plus duobus milibus peractis maxime tum causas agendi minime mutatas. Causis similibus commotos medicos hodie curare uidemus. Quot sunt, qui arti medicinae potius spe pecuniae et gloriae quam animo Hippocratis uel Celsi commoti studeant? Quot sunt, qui ea de causa satis medicinae non didicerint et eam non studio sanandi sed cupiditate diuitiarum exerceant? Quot sunt, qui aegris falso medeantur, quod male sunt docti arte sanandi? Nonne nobis prodest, quod hodie crimina facilius patefiunt et medici medicamina recta

L

saepius quam uenenum nobis dant? Minime prodest: et hodie multi aegri iam dolent, quod male sunt sanati. Medici tamen raro in ius uocantur et iubentur rationem male sanandi uel errorum medicinalium reddere. Ergo multa, quae hoc opere indicaui, et in medicos nostros libere dicere possumus. Paenitet autem nobis non iam esse morem, ut inuectiuis utamur. Quantum a Catone illiusque aequalibus discere possumus!

INDEX LIBRORUM ADHIBITORUM

1. Editiones et commentarii

- T. Lucreti Cari de rerum natura libri sex, Conradus Müller recensuit et adnotauit, Zürich 1975.
- P. Ovidi Nasonis Metamorphoses, recognouit breuique adnotatione critica instruxit R. J. Tarrant, Oxford 2004.
- Plautus, Menaechmi, edited by A. S. Gratwick, Cambridge 1993 (Nachdruck 1997, 2000).
- M. Valerii Martialis Epigrammata, recognouit breuique adnotatione critica instruxit W. M. Lindsay, Oxford 1903, 1929² (Nachdruck 1989).

2. Litterae ad rem scriptae (Sekundärliteratur)

- Enenkel, Karl, Ein erster Ansatz zur Konstituierung einer humanistischen Streitkultur: Petrarca's Invektive contra medicum, in Die Kunst des Streitens (Hg. Laureys, Marc, und Simons, Roswitha), Göttingen 2010, 109-126.
- Kaser, Max, und Rolf Knütel, Römisches Privatrecht, München 2008¹⁹.
- Kippenberg, Hans G., und Kocku von Stuckrad, Einführung in die Religionswissenschaft, München 2003, 157ff.
- Koster, Severin, Die Invektive in der griechischen und römischen Literatur, BKP 99 (1980).
- Liebermann, Wolf-Lüder, Invektive, DNP, 5 (1998), 1049f.
- Luck, Georg, Magie und andere Geheimlehren in der Antike, Stuttgart 1990.
- Nutton, Vivian, Medizin, DNP, 7 (1999), 1106-1117 (übersetzt von Theodor Heinze).
- Nutton, Vivian, Roman Medicine: Tradition, Confrontation, Assimilation, ANRW II,37,1 (1993), 49-78.
- Oberhelman, Steven M., Dreams in Graeco-Roman Medicine, ANRW II,37,1 (1993), 121-156.
- Önnerfors, Alf, Das medizinische Latein von Celsus bis Cassius Felix, ANRW II,37,1 (1993), 227-392.
- Paoli, Ugo Enrico, Das Leben im alten Rom, Tübingen, Basel, 2001⁴.
- Riddle, John M., High Medicine and Low Medicine in the Roman Empire, ANRW II,37,1 (1993), 102-120.
- Scarborough, John, Roman Medicine to Galen, ANRW II,37,1 (1993), 3-48.
- Sallmann, Klaus, Plinius der Ältere, in: Ax, Wolfram (Herausg.), Lateinische Lehrer Europas, Fünfzehn Portraits von Varro bis Erasmus von Rotterdam, Köln 2005, 45-65.

Šimon, František, Das Bild des idealen Arztes in Celsus' Werk de medicina, Graecolatina et Orientalia, XXV-XXVI (1997), 99-105.

Touwaide, Alain, Medicina Plinii, DNP, 7 (1999), 1096f. (übersetzt von Theodor Heinze).

Wellmann, M., Archagathos (7), RE, 3 (1895), 432f.

Wöhrle, Georg, Cato und die griechischen Ärzte, Eranos 90 (1992), 112-125.

Zimmermann, Reinhard, The Law of Obligations: Roman Foundations of the Civilian Tradition, Oxford 1990 (Nachdruck 1996).

3. Lexica

DNP. Der Neue Pauly, Enzyklopädie der Antike, Stuttgart 1996-2007.

RAC. Reallexikon für Antike und Christentum, herausgegeben von Ernst Dassmann, Band XVI, Stuttgart 1994.

RE. Pauly's Realencyclopädie der classischen Altertumswissenschaft. Neue Bearbeitung v. G. Wissowa u.a., Stuttgart 1893-1978.

ThlL. Thesaurus linguae Latinae, Leipzig 1900 –.

ZUSAMMENFASSUNG

Diese Arbeit, die ich der alten, heute aber unüblich gewordenen Gepflogenheit für derartige Arbeiten folgend, in Latein verfaßt habe, gibt einen Überblick über Textstellen klassischer lateinischer Autoren, die als Invektiven gegen den Berufsstand der Ärzte gesehen werden können.

Ausgehend vom berühmten Zitat Catos, wo er seinem Sohn Marcus den Umgang mit den griechischen Ärzten untersagte (*interdixi tibi de medicis* - wie Plinius nat. 29,14 uns überliefert), führe ich quer durch die klassische Periode diverse Beispiele für Invektiven an, erläutere diese kurz und gehe dabei v.a. auf die Gründe für die Invektive ein. Die Reihung der Textstellen versuche ich nach Gründen getrennt darzustellen, wobei zuerst die schlechte Behandlung und die Schmerzen antiker Wundbehandlung im Vordergrund steht. Danach komme ich auf die Giftmischer der frühen Kaiserzeit mit besonderem Augenmerk für die Ärzte zu sprechen, derer sich Nero bediente, um ihm unliebe Personen wie Seneca und Burrus aus dem Weg zu schaffen, aber auch diejenigen, mit deren Hilfe Nero selbst schon auf Betreiben seiner Mutter Agrippina an die Macht kam, werden erwähnt. Zuletzt gilt es, den Grund, der den Ärzten wohl als der schwerwiegendste immer wieder vorgeworfen wurde, zu behandeln: ihre Geldgier. So verlangten sie für ihre oft fragwürdigen Behandlungen große Summen, die sie von den Kranken aus Furcht um ihre Gesundheit auch erhielten.

Des weiteren zeigt diese Arbeit - ebenfalls mit Mitteln der Invektive und Ironie -, daß sich seit den Zeiten Catos die Gründe, Invektiven gegen Ärzte zu verfassen, nicht wirklich entscheidend geändert haben.

Ernst Wiesner

LEBENS LAUF

Am 18. Juni 1970 wurde ich, Mag. Ernst Wiesner, als Sohn von Melitta und Manfred Wiesner in Korneuburg, NÖ, geboren, wo ich auch von 1976 bis 1980 die Volksschule besuchte. Danach absolvierte ich in den Jahren von 1980 bis 1988 das Neusprachliche Gymnasium bei den Brüdern der Christlichen Schulen in Wien/Strebersdorf, wo ich 1988 die Reifeprüfung mit Auszeichnung bestand. In den Jahren von 1988 bis 1995 inskribierte ich an der Universität Wien das Diplomstudium der Rechtswissenschaften, das ich 1995 mit der Sponsion zum Magister der Rechtswissenschaften abschloss. Daraufhin leistete ich 1996 meinen Präsenzdienst und erwarb 1997 meine Gerichtspraxis an den Bezirksgerichten Stockerau und Korneuburg sowie am Oberlandesgericht Wien. Im Oktober 1997 trat ich eine Stelle als Jurist in einer Immobilienkanzlei in Wien/Josefstadt an, die ich bis 2002 ausübte und während der ich 2000 die gewerberechtliche Prüfung zum Immobilienverwalter ablegte. Nach dem Tod meines Vaters im Jahre 2001 schränkte ich meine berufliche Tätigkeit etwas ein und inskribiere nun daneben seit dem Wintersemester 2002, meiner Begeisterung für die lateinische Sprache folgend, an der Universität Wien das Diplomstudium der Klassischen Philologie (Latein).